



abonum
spec.





I. N. 7.

DISPUTATIO PHILOLOGICO-HISTORICO-
GEOGRAPHICA
POSTERIOR

DE

FLUVIIS PARA-
DISIACIS,

Quam

DEO O. M. FAVENTE

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO atq. EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,

REGNI PRUSSIAE, ELECTORATUS ET PROVIN-

CIAR. BRANDENBURG, HÆREDE &c. &c. &c.

CONSENSU AMPLISSIMÆ FACULTATIS PHILOSOPHICÆ

IN REGIA PRUSSORUM ACADEMIA,

placide Eruditorum censurae subicit

PRÆSES

M. MARTINUS CORSCH,

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO Stein/ m.

Mullensf. Pruss.

IN AUDITORIO PHILOSOPHORUM,

Anno MDCCVII. die Julii.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.

INCLYTÆ
AC FLORENTISSIMÆ REIPUBLICÆ
PALÆOPOLITANÆ
In Regio Prassorum Monte
VENERANDIS PATRIBUS CONSCRIPTIS,
VIRO

GENEROSO MAGNIFICO AC CONSULTISSIMO
DN. FRIDERICO à Derschau!
S. R. M. Supremi, quod in Borussia est, Appellationum Judicii & Aulae Con-
siliario eminentissimo, Con'uli meritissimo.

VIRIS
PRÆ-NOBILISSIMIS, AMPLISSIMIS & CONSULTISSIMIS,
DN. GEORGIO Dittmer / Pro-Consuli meritissimo.
DN. PETRO Schwenner /
DN. CHRISTOPHORO von Kohlen /
DN. CHRISTOPHORO Duls /
DN. JOHANNI Langerfeldt /
DN. CHRISTOPHORO Horck /
DN. HEINRICO Schönfeldt / J. U. D. & P. P.
DN. JOHANNI Bolson /
DN. FRIDERICO Meyer /
DN. GEORGIO Tetzl /

II &
VIRO
NOBILISSIMO AMPLISSIMO AC CONSULTISSIMO
DN. HEINRICO Bartsch / Secretario Spectatissimo.

MÆCENATIBUS EVERGETIS AC PATRONIS,

specimen hocce, in Studiorum suorum commendationem
ac promotionem inter ardentissima omnigenæ
prosperitatis vota, submissa manu ac mente dat
dicat, dedicat,

RESPONDENS.

§. XVIII.

A numero fluviorum progressum facimus ad eorundem cognatam propinquitatem, unde

HYPOTH. X.

Non fluvios quosvis, sed qui præter requisita proximè coherent, intelligit Moses.

Duplicem postulat cautelam (α) non eos, qui quidem coherent, requisita verò respuunt; neque (β) qui requisitis gaudent, longissime tamen à se distant, fluvios esse, quibus de loquitur Moses. Quamvis Euphrati annexi fluvii & rivuli, terræ Paradisiacæ non peregrini fuerint; Nilominus tamen, quia vel minus celebres, vel ita comparati, ut nullas insignes notas, quibus dignosci possent, comites habuerint; vel quia ex parte tunc temporis nondum extitere, Mosi, qui de fluviiis propter Paradisum cognoscendum egit, eorum non meminisse, utile visum est. Fluvios, qui, voce æquivocatione laborante, requisita nonnulla habere videntur, non verò finitimis junguntur terminis, huc trahendos non esse, certius est, quàm quod certissimum. Moses occupatus est in concipienda idea terræ amœnissimæ, quam incolendam DEUS primis dederat parentibus, ut curiositati hujus loci situm sitienti consulat paradisi vestigia, quæ fluvii erant, Israelitarum imprimis memoriæ. Si vero fluvii alterius regionis nulli, dummodò aliquam habeant convenientiam, à Mose excipiuntur, multa dicendo nihil dixit. Situs Paradisi, narratione finitâ, Israelitis non melius innotuisset, quam si hæc de materiâ nullum fecisset verbum. In summa confusione eos reliquisset, ut hunc vel istum locum, Paradisi titulo dignum judicare, rixas exin movere, & controversias inutiles pro beneplacito, prouti hodie, ex orco quasi hæc revocantur, habere potuissent. Quid mirum, cogitationibus huc illuc distractis? Hisce positis, univèrsa terra Paradisi nomen non abnuit; unde igitur ejectus Adam? Cui hoc absurdum, id, ex quo sequitur, evitet. Sciant, se laterem lavare, qui terræ meatus & anfractus ignotos, in quibus fluvii Paradisi se copulent, anxie percontantur. Hoc modo enim finem Mosi & omnia ad hunc consequendum directâ ordinataque evertunt, ex historia Mosaica perspicua & evidenti, ænigma, quò populi ingenium, animi gratia exercuerit Moses, faciunt; & veritas jam erit ingenii lusus. Absonum!

§. XIX.

Summa hæctenus traditorum de fluviiis hæc erit: In Edene, quæ Regio

F

gio

gio erat in Babylonia seu Chaldaea, ubi iuxta *Eflium*, & *Corn. l. à Lapide*, Tigris & Euphrates in unum alveum conflunt, scilicet in finibus Mesopotamiae (Orphae hodie in Diarbeker) & Arabiae, puta desertae, teste *Vatablo*, utpote quae alias vocatur Aurantia sive Audanitis, quasi Edenitis, occidentem versus, palæstinam, Orientem, Afsyriam & Mesopotamiam (si, uti communiter creditur, Mesopotamia quaerenda, ubi Orpha, septentrionalem Edenis partem, nisi eam ab hac divisam velis, potius constituit) septentrionem, Armeniam scilicet majorem, hodie Turcomanniam & meridiem versus Arabiam, desertam scilicet, respexit, annotante *Spanh. in introd. sua in Geogr. S. p. 6.* progressus fluvius Euphratis Tigri mixtus divisit se in quatuor distinctos fluvios ceu ramos, duos inferiores & duos superiores (quae divisio quoad superiores Euphratem scilicet & Tigrim, quamvis extra Edenem facta sit, cum singuli peculiari è fonte scaturientes, huc procedant; respectu tamen conjunctionis fluviorum in Edene, divisae recte dicuntur) qui potissimi ex fluvio Euphratis oriundi, ex quibus cognitio situs Paradisi innouit Israelitis.

§. XX.

Præmissas generales excipiunt speciales hypotheses, quae, quia ad meliorem fluviorum notitiam conducunt, singulis, praeviente Moïse, faciem praferant. Ejusmodi signa primò primum flumen concomitantia deprompta habebis ex verbis Moïsis subsequen-
שם הארץ פישון הוא **הסבב את כל ארץ החוילה אשר שם הזהב: וזהב הארץ ההוא טוב שם הברלח ואבן השהם:** Qui ad fluvium פישון usq; pertinere cupit, ei hac via est incedendum, ut probè teneat, quid sit (α) **אבן השהם** & quid tandem (γ) **הברלח** (β) & quid **ארץ החוילה**. *Karà πòδα* in omnibus Moïsem non sequemur, sed ordine quodammodo inverso & turbato procedemus, incipientes ab auro optimo, gemmis &c. utpote quae propter Chavilam à Moïse afferuntur. Cum verò inter eruditos non insignes moveantur controversiae de auro optimo, ab hoc oculos vertimus ad ברלח, quae vox nobis sistit.

HYPOTH. I.

Duae ברלח expositiones reliquis palmam praeferunt, altera de Bdelio, altera & optima de margaritis.

Incerta vocis significatio dubias & incertas gignit interpretationes; unde ברלח quidam exponunt per Adamantem, Jaspidem, Smaragdum, aut per alium quendam lapidem pretiosum vid. *Huet. tr. de Parad. c. 10.*

Quidam

Quidam per Carbunculum, veluti septuaginta, in Græco ἀσπαρα, quos
 secuti sunt Patres permulti cum Græci, quum Latini. Ber yllum vertit In-
 terpres Periscus vid. *Huet. l. c.* Ab aliis probatur Ebenus idem ibidem.
 Est verò Ebenus definiende ex aliis *Calepino diction. de hac voce, lignum*
intus nigrum foris buxi aspectu, adeò solidum & ponderosum, ut in aqua
non superfuitet. Alii idem nomen expriment per crystallum, ita *Menochius,*
multi Rabbini, qui communiter per crystallum reddunt vid. *Buxt in*
Lexic. Hebr. Chald. de hac voce. Ipsi septuaginta interpretes *Num. XI.*
7. occurrens vocabulum crystallo respondere autumant. *Piper & Gary-*
ophyllum defendit *Polus in Parad. c. 43. & 44.* coniecturis, ut ipse *Syn-*
crit. & c. in Num. XI. 7. fatetur, non spernendis. Interim tamen, quem-
 admodum postea audiemus, margaritam eligit. Alii lapidem intelligunt
 in genere apud *Polum in hunc locum.* Ast minus commode, quia sic
 abundanter cum sequente voce coincideret. Rectius verò sentiunt, quibus
 ברוך est vel Bdelium vid. *Calep. Diction. de Bdelio, & Buxt. l. c.* vel
 margarita. *Arab. & Syrus interpretes.* Nonnulli *Rabbinorum, Olea-*
ster, Grotius, Bocharti Hierozoicon &c. apud Polum Syn. Crit. in Gen. 2.
 Huc referenda sunt versiones de unione, qui vulgo Perla vocatur. Quia
 margarita ejusmodi lapillus est, quorum nulli duo reperiuntur indisereti,
 Romanis dicitur unio vid. *Calep. Diction.* Qui Bdelium malunt, rursus
 dissentiunt. Nam Bdelii nomine intelligunt vel ipsam arborem, quæ *ni-*
gra, magnitudine oleæ, folio roboris, fructu Caprifisci, gummi genus ex-
udans. Calep. in diction. Quos inter *Vatavus, Piscator, Junius & Tre-*
mell. vel gummi hujus arboris, ut *Carverus, Aquila, Symmachus &c.*
 vid. *Polus Syn. Crit. in Num. XI. 7. Joseph. antiq. l. 3. c. 1.* quod gum-
 mi aromaticum specialiter quoque Bdelium audit, *Calep. l. c.* vel juxta
Nicolaum de Lyra & alios, omnis arborum aromaticarum species signifi-
 catur. Quarum secunda, quæ primam tamen semper præsupponit, rec-
 tior longè antest. Præter quod à veteribus & recentioribus plurimis
 pro eo habetur, evincitur hoc ex *Num. XI. 7.* ubi manna legitur fuisse co-
 loris הברוך. Jam vero ex *Exod. XVI. 14.* liquet, mannam fuisse al-
 bam, quia apparuit ככפר sicut pruina. Cum pruina nivei & lactei sit
 coloris, eadem qualitate imbutus intelligitur ברוך. Quid verò de
 gummi aromatico, sive de Bdelio quoad colorem constat? Quando
Bochartus Hieroz. s. de animalibus S. Sacra Bdelium hocce Aromati-
 cum, ex eâ ratione, quia ferè nigrum est, non approbat; non potest in-
 tellige

telligere gummi Bdellium in genere, sed potius Scythicum. *Galenus*, postquam duo genera Bdellii constituerat, Scythicum & Arabicum subicit: Scythicum nigrius esse, magisque resinofum: Arabicum translucentius & siccius *lib. 6. simpl. med. vid. Calep. l. c.* Aliàs *Plinius* refert, (qui ibidem nomine quoque distinguit hæc duo gummi aromatici genera: *gummi*, inquit, *alii brochon* appellant, *alii malacbrem*, *alii maldacon: nigrum verò & in offas convolutum hadrobolon*) quod sit translucentum simile *cerae*. Unguis colorem refert: *Babriano*, pergit, *nidor siccus multiq; candidi unguis l. 12. c. 9.* Conf. *Dioscorides l. 1. c. 69.* Ex eo concludit *Menochius* apud *Polum Syn. crit. in Num. XI 7.* Gummi Bdellium lucidum non minus, quàm candidum fuisse. Omnium optimè autem כפר colore convenit Margarita, ut ex *avroſia* patescit. vid. *Aurores à Polo l. e.* adducti, adeo, ut lapides pretiosi, quin ipsum gummi aromaticum Blochon seu Bdellium eò magis in censum ברורח vocentur, quò magis ad margaritæ colorem accedunt. *Bochartus l. c.* non crystalli, non adamantis, neque gummi Bdellii albedinem, sed margaritæ nivem (*dos enim omnis in candore, Plin. l. IX. c. 35.*) speciem כפר lacteam representare mavult. Unde Hebræi non solum ajunt omnes ברורח lapidis albi nomen esse; sed etiam Thalmudistæ, observante *Bocharto Hieroz part. 2. l. 5. c. 5.* mannæ descriptionem referentes, eam coloris margaritarum fuisse, asserunt. Quis ergo dubitabit, nomine ברורח primario intelligi margaritam.

§. XXI.

Exploratâ voce ברורח inquirendum quoque est in שרם in sequente

HYPOTH. II.

Quid שרם præcise? non satis liquet.

Gemmam vel lapidem quendam significare pretiosum, omnes conveniunt interpretes, quæ verò & qualis gemma in specie sit, ignorant, ut opus habeant conqueri cum *Polo l. c. in Exod. 28. 20.* Non dubium est, istas gemmas præclaram significationem secundum virtutes suas habuisse; sed de eo nihil est apud Hebræos certi. Huic ex ipsorummet Judæorum confessione edocti adtipulantur multi alii. Confer. *Paulus Fagius* apud *Polum l. c.* præprimis verò *Perer. comm. in b. l. שרם* autem incertum est, quid propriè significat. Et paulò post: *Sed profecto & ipsi Hebræi consensentur & per se manifestum est, hujusmodi nomina propria pretio-*

pretiosorum lapidum, fluminum & arborum, que sunt in Scriptura Hebraica, quid propriè significant, in obscuro & incerto esse. Unde versiones variant. Prasinum volunt LXX h. l. versio antiqua Italica apud Hieron. *quæst. Ebr. in Gen. Euseb. de locis Ebr. Severianus Hom. 5. in Hexæm. Ambros. de Parad. c. 3. Aug. de Gen. ad lit. lib. 8 c. 7. & alii septuaginta secuti.* Crystallum verò versio Arabica & Syriaca. Quid eius significationem hodie ignorari. Quam vocem h. l. per Prasinum, alibi reddiderunt per Onychem, Smaragdum, Beryllum, Sapphirum & per Sardum Conf. loca *Job. 28. 16. Exod. 28. 9. c. 35. 25. Exod. 28. 20. Ezech. 28. 30. Exod. 35. 9.* Quare *Philo de Monarch. l. 2. LXX.* virali inhaerens ורשׁ pro Smaragdo accepit. Nemo ferè interpretum & Criticorum eandem ubique ורשׁ significationem retinet. Onyx tamen à plurimis transfertur, *Aquila sc. Theodor. Symmacho, Aria Montano, Malvenda &c.* Notandum autem Sardonychem cum Onyche ab interpretibus S. Sacra sæpe permutari. Quamvis igitur *Josèph. antiq. lib. 3. c. 8. & 9. de bello Jud. l. 6. c. 15.* exposuerit per Sardonychem; attamen *Hieronymus* hanc versionem, ut versionem Aquilæ & ipsi fonti Hebræo respondentem laudat *epist. 118. ad Fabiolam de veste Sacerdotali*, quo ipso satis clarè innuit, Onychem atque Sardonychem esse rem eandem. Has voces, ut vocabula *ισοδυναμιστα* ipse permutat. Vox ורשׁ h. Gen. l. Onyx *Job. verò c. 28. v. 10* Sardonyx ab ipso vertitur. *Bux.* quoque *Lex. Hebr. Chald.* in hujus vocis expositione Onychis atque Sardonychis mentionem facit. vid. *Polus in b. l.* Neque qui Beryllum amant, ut *Interpres Arabs & Syrus, Moses Bar-Cepha c. 21 & 28.* horum vestigia sequitur. Non est, quod *Junius Tremellius & alii* hanc Onychis atque Sardonychis significationem abominentur, cum, quemadmodum *Arias Montanus* docet in libro *Aaron*, beryllum sub Onyche ceu genere suo comprehendatnr. Confer. sæpe laudatus *Huet. l. c.*

s. XXII.

Sic via strata ad terram Chavilam &

HYPOTH. III.

הויילה est regio in Arabia deserta ad Bassoræ districtum seu ubi Bassora prope Chaldeam seu Babyloniam, meridionalem partem versus.

Vox æquivoca הויילה ab homonymia prius liberanda est & distinguenda. Denotat 1. virum, 2. urbem vel regionem, à viro, à quo denominationem

F 3

nationem

nationem accepit, ejusque posteris occupatam Viros hoc nomine claros Sacra Scriptura proponit duos: *יוירר* filium Chus ex stirpe Chami & *יוירר* filium Joctan, qui Joctan trinepos Semi *Gen. 10. 7. & 25. exclusivè*, ab his Regio *יוירר*, de cujus Origine, situ & numero variant Auctores. Unam Regionem *יוירר* statuunt ut plurimum, qui Gangem, Paradisi fluvium faciunt, in India, aut ad minimum, ne ansam dubitandi & Gangem relinquendi præberent, occultârunt & silentio prefferunt, aut ad alium remotiorem terræ tractum à Chavila filio Chus (si quam de nomine convenientem familiam ab hõc oriundam agnoverint) nos dimiserunt. Ita alios inter *Hieron. in tradit. Hebr. in Gen. de filiis Joctan & consequenter de Chvilah: possederunt à Cophene fluvio omnem Indie regionem, quæ vocatur Fera. Et in libr. de loc. Hebr. Hevilah porro est, ubi aurum purissimum, quod Hebraicè dicitur Zaab & gemmæ pretiosissimæ, Carbunculus, Smaragdusq; nascuntur. Est autem regio ad Orientem vergens, quam circumit de Paradiso Phison egrediens, quem nostri, mutato nomine Gangem vocant. Sed & unus de posteris Noë Hevilah dictus est, quem in regione Indie habitasse refert Josephus.* (Eo ipso tamen in loco auctoritate Scripturæ adstimulatus non potuit non aliam quoque Chvilah consiteri verbis, quæ præcedentia immediatè sequuntur his: *Israel quoq; in solitudine Hevila habitasse scribitur, quam scriptura ait esse in deserto Sur contra faciem Egypti & inde tendere usq; ad terram Assyriorum*) Ex quo constat, quibus Ganges est Phison illis istam Indiæ partem, quam Ganges percurrit, Chvilam esse. Qui verò à parte opinionis contrariæ stant, quoad numerum quidem non verò ortum & situm Chvilæ inter se conveniunt omnes. Si unquam aliquid confusionem gignere potuit; est certè vox Chvilah, de qua tot extant sententiæ diversæ & contrariæ, quot vix ac ne vix concipi possunt. Sunt, qui pro aris & focis dicant, Chvilah filium Joctan reledisse in India; Chvilah verò filium Chus in Arabiâ. Alii filio Joctan Arabiam; filio Chus verò Africam admetiuntur. (Ab hoc Chvilah Chusæo juxta *Josephum l. 1. c. 7. antiq. Hieron. in trad. Hebr. in Gen. Lyram, Menochium & apud Polum in b. l. Conf. Bach. Phateg. l. 4. c. 11.* Getuli in Getulia, quæ in Africa. Hinc nostram Chvilam & Hevilæos nostros, nomen hocce Getuliæ & Getulis attribuentes, in Africa ab occidente quærent.) Alii his contradicunt & neutri Chvilæ invident Arabiam. Litem tamen hõc ipso non dirimunt omnem. Qui enim malunt Phisonem esse alycum

alveum ex duobus, Tigrim atque Euphratem post ipsorum conjunctionem, dividitibus, orientalem; hi alterutri Chvilah, præsertim tamen filio Chus, viam ad Orientalem usque Sinus Persici partem aperiunt, ut Susiana, ad fluvium Gehon aliàs sita, iis sit ipsa Chvilah, de qua h. l. Moses. Cum è contrario, qui Tigris atque Euphratis post conjunctionem divisorum, alveum occidentalem, nomine Phison, digniorem judicant, utrique Chvilah (paucis exceptis, qui alterutrum, imprimis filium Joctan in India & Gangeticis regionibus fuisse concedunt,) cis sinum Persicum terminos constituunt non minus, quàm firmant, unde nulli ultra eum progressi licet.

§. XXIII.

Priori sententiæ nonnulli ut subsciberent, commoti sunt, (1) *vers.* 3. c. 10 Gen. ubi expressè dicitur: *Fuitq; habitatio eorum* (scilicet filiorum Joctan) à *Messa dum pergis ad Sephar montem Orientalem* vid. *Joh. Theod. Heinsio disp. de Parad. ejusq; amissione & cust.* § XLV. De locorum horum obscuritate conqueritur B. Pererius in h. l. *De Messa vero & Sephar hoc tantum reperi apud B. Hieron. in lib. de locis Hebraicis: Messam vult ille regionem esse India, in qua habitaverint filii Joctan: Sopheram autem esse montem Orientis in India &c.* (2.) eò, quod Gen. 10. prædicatur de Ophir, filio Joctan & fratre Chvilah. Ophir verò sui nominis locum, aurò pretiosissimo fertilissimum vid. 1. Reg. 9. 10. & 22. 2. Paral. 8. in India habet. *Joseph l. 8. antiq.* Ophir Indiam esse, quam vocarunt suo tempore terram auream, seu Chersonesum, nunc vulgò Malaca dictam, firmiter credit. *Confer. Hieron. in epist. 133 ad Marcell. & epist. 140. ad Principiam virg.* Quod ab Ophir devehiunt aurum defæcatissimum, Obrizum à Latinis nominatum, de quò *Plin. l. 33 c. 3.* quasi Ophirizum ab Ophir commendat B. Perer. l. 12. *com. in Danielelem supra illa v. rba c. 10.* *Ecce vir vestitus lineis & renes ejus accincti aurò obrizò.* It. *comm. in Gen. c. 10. v. 25.* Si hoc, vero simile est, fratrem Chvilam propinquas sedes tenuisse, terramque Chvilam ad India partes pertinuisse. Familiam enim Jacketam Moses conjungit, ut non commode in remotissimas distrahi possint regiones. Hanc consequentiæ coherentiam & connectionem disrumpere & Chvilah Americanam obliquè subinferre videntur *Vat. in scholis suis super c. 9. l. 1. Reg. & Bened. Arias Montanus in apparatu ad biblia & in lib. Phal.* Qui opinantur, terram Ophir esse, quæ hodie vulgò appellatur Peru. Pro medio termino asserunt, quia c.

3 l. 2. *Paral.* juxta versionem Latinam: *Aurum erat probatissimum*; Hebraicè est: aurum erat de loco פְּרִי, quam vocem neq; LXX. Interpretes in translatione sua omiserunt. Duale Parvaim derivant à singulare Paru seu Peru (פְּרִי) & ponitur ex ipsorum sententia ad designandum utrumque Peru majus & minus, quod appellatur Mexico. B. *Perer.* autem *com. in Gen. c. 2. v. 11. & 12. l. 3. de Parad.* hanc Vatabl. & Ariæ Montani opinionem refellit (α) quia in regione Peruana nec Elephantes, nec pavos, nec simias nec ligna thina pretiosissima (qualia ex Ophir asportari scriptura memorat) Jesse, experientiâ & aliorum testimoniis constat. (β) Quia non credibile est, Salomonem ex mari rubrò (in cujus littore Afiongaber erat,) unde classis solvebat *vid. 1. Reg. c. 2. & 2. Paral. 8. relicta India Orientali, viciniori atq; notiori, multarumq; rerum pretiosarum fertiliori, immenso circuitu navigationem instituisse ad Regionem Americanam & Peruensem, præsertim cum ad eam regionem ex Joppe, vel alio portu maris mediterranei per fretum Gaditanum, multo breviori familiariq; & magis usitatâ navigatione, spatio circiter quinq; mensium, pervenire potuisset.* Est ergo ingenii lusus. Pabulum quoque (γ) administrat, quod Sabæi Indici reperiuntur, qui nati putantur ex stirpe Sabæ, fratris cujusdam Chvilah, trinepotis Semi. *Sunt enim & in India Sabæi, quorum meminit in descriptione Indię Dionysius illò versu:*

Horum medii habitant Sabæi & Taxii viri.

Contestatur *Perer. com. in Gen. c. 10.* Posterioris sententiæ Patronus fuit quoque *Job. Henr. Hotting. disp. Ennead. disp. 3. de Parad. Gen. 10. 7.* inquit, *mentio fit Havilah, filii Chus, filii Cham, à quo teste Josepho Getulia dicta, locus Africæ, quam posteri Cham magna ex parte obtinere.* Quamobrem quidam tertiæ favent opinioni, non eget ulteriori deductione. Ultimam ut probabilioris sine ambagibus commendaremus, nisi animadversionem à nobis efflagitent præcedentia.

§. XXIV.

A prima incipientes, dubio non carere, Messam, regionem fuisse in Indiâ, intrepidi confitemur. Ast aliter sentire de Messâ & monte orientali Sephar, terret testimonium sancti ita ut doctissimi patris, sed nudum. Non sufficit, ut quis ad locum quendam investigandum, aliqualem nominis convenientiam & circumstantias quasvis in subsidium vocet. Si hoc sine discrimine liceret, quis nobis vitio verteret, Messâ denominationem quærentibus, à Mesech filiò Japhet aut à Mas (Mesech) de quo *1. Par. I. 17. filio*

17. filio Aram, qui finitimas coluerunt regiones. Hic Mafianorum vel Mafcenorum in Mesopotamiâ sive eò terræ tractu, ubi hodie conspicitur Orpha, stirps fuit; Ille Moschororum Pater, qui occuparunt hujus nominis montes, Iberiam, terram, mare nigrum inter & Caspium ad dextram mari Caspio adjacentem, ab Armenia majori, hodie Turcomannia, utramq; regionem distinguentes à Colchide, ad sinistram nominata inter maria & sic ad littus maris nigri orientale sita, Confer *Strabo lib. XI. Plin. lib. VI. c. 4. & 10.* Ut melius mentem nostram explanemus, conferemus verba Mosis cum tabula Geographica. Nimirum Mafcenii in Armenia minori pedem fixerunt, ad urbem usque Cutatis in Mingrelia prope Pontum Euxinum à parte Orientali, vel quoq; longius porrecti; concipiamus jam Messam fuisse hunc districtum, ubi urbs Marasch ad Euphratem & extremitatem fere Marasch provinciae, Turcomanniam & antiquam Mesopotamiam, à sinibus suis, dum pergis ad occidentalem plagam tangentem. Ubi hi Mafcenii à parte meridionali suam terminarunt regionem; Filii Joſtancum posteris suis habitationem inchoantes, eandemq; in longitudinem & latitudinem continuantes, Arabiam & vicinam terram implevisse, non sine veritatis specie dicendi essent. Per montem autem Sephar non cum *Hieron. l. c.* intelligimus montem in India ejusque parte Orientali, sed conjecturamus, fuisse in angulo quodam Arabiae orientali. Eos inter, qui מֶסֶךְ in *Ps 120. 5.* propter sequens מֶסֶךְ pro nomine proprio loci habent, ad nomen Mesech alludunt non pauci, & Mesechi Filii Japheti posteros faciunt Mesechitas, hodie Moscovitas, alias Scytas. *Piscator Symmachus in b. l.* Quidam vero in Geierum מֶסֶךְ nomen retinentes, intelligunt Moesos sive Myſios, item Mesechinios, qui Cappadoces. Hæc adducimus, non ut calculum addamus, sed ostensuri, quò quis conjecturis qualibus qualibuscunque abduci possit; itaque quasi instantiae loco. Inde fit, ut *Aug. Varenius in trifol. hist. s.* ab hoc dicto de Messa & Sephar, si vel maxime Chvilam in India admitteret, dubius relictus sit, uter ejus sit instaurator? *Ponamus ergò, inquit, Hvilam unam esse Indiam Orientalem, opus tamen non est, ut Hvila Piscathonis Paradisiaca, sit Orientalis India: cum ad huc questio sit, quisnam Hvila in Mose ponatur instaurator Indorum, an ille in Semi, an in Chami genealogia sit.* Ad reliquas rationes respondemus distinctè Primò quod argumentum ab Ophir concernit, tribus diluendum est responſionibus. (a) Non in sola India ex *1. Reg. IX. 10.* sed etiam in Arabia prope Sabæos Ophir salutatur vid. *Job. XXII. 24. c.*

XXVIII 16. unde Ophriti vel Auphiriti in Arabia progerminarunt. Veritati quid magis consentaneum est, Ophir, Auphiritorum in Arabia, in qua sui nominis locus in sacro codice monstratur, patrem fuisse, vel Ophir omnes fratres deseruisse, & iter suum in Indiam, ubi Ophir urbs inclarescit, direxisse? puto prius. Non incongruum est, dicere; Ophir in India non ab Ophir fratre Chvila, sed alio quodam casu, suum commodasse nomen; Quare ejusdem nominis loca passim in Geographiâ occurrunt, non tamen ejusdem semper cognationis. Id ipsum vel sola docebit Hispania. Tanti olim fuit Iberus fluvius, ut in ipsius quasi honorem tota Hispania dicta sit Iberia. Quis verò argumentaretur: Ergo Hispani sunt de familiâ populi in Iberiâ, quam in Asiâ mare Caspium alluendo lambit. (B) Simus faciles, Ophir in India dici ab Ophir fratre Chvilah, quæ verò consequentiæ cohærentia? Ergò Chvilah ejus frater habitavit in India; perinde acsi non in Arabia degerit Ophir, cujus posteros, se multiplicantes ut vel terræ angustia vel aliis incommodis uno in loco se sustentare non potuerint, colorem facientes & Indiam ad usque pervenientes, sui nominis urbem extruxisse, credibile est. Quis non videt, pro Chvilah in Indiâ argumentum, ita valde esse debilitatum. Idem B. Pererius com. in Gen. c. 2. v. 12. alio tamen ex fundamentò, intendit; Nec verò, inquit, quia Ophir petiit Indiam, ex eo conficitur, Hevilath ejus fratrem in Indiam quoque profectum esse; siquidem tertius eorum frater memoratur eodem loco Saba, à quo fuit terra & gens Sabæorum, nequaquam pertinens ad Indiam. Equidem alibi Sabæos Indicos admittit, utri autem istorum (scilicet Sabæorum in India; hi proximi Palagardis, qui ad Persidem pertinent) fuerint ex Sabâ filio Chus & ex filio Jectan, non liquet. vid. com. in Gen. 25. Quando vero Sabæos, posteros filii Chus Arabiæ felices possessores instituit; Indicos intelligit ex filio Jectan. Ex hypothesi instantiam dat, quia, contra quos disputat, Chvilah filium Chus & Chvilah filium Jectan, respectu regionis & habitationis confundit, & pro uno habent, propterea neque ipse h. l. Sabam filium Chus, à Saba filio Jectan distingvit. Præter hæc anceps adhuc hæsit, uter Sabæorum Indicorum sit instaurator, licet sententiam de Sabæis ex filio Chus Arabiam inhabitantibus elegerit. (γ) Chvilah terra aurifera fuit; Ophir cui propinqua sit Chvilah, auro optimo abundabat. Quid tum? ubi auri optimi abundantia, ibi est Ophir, cui adhæret Chvila; subsumamus: In Arabia felici deprehenditur. Ergo ibidem ad Ophir exstructa est. Auri Obrizi, quod ab Ophir venit, allusio, ut quasi sit

sit

48
sit Ophirizum, pro nobis militat, locum istum Ophir ab auro Obizo quasi Ophirizo, (quod ibi est effossum & collectum) non autem ab Ophir filio Joctan denominationem traxisse. Argumentis præcedentibus collapsis, vacillat de Sabæis Indicis subsequens.

§. XXV.

Ad hoc penitus destruendum inservit secundò distincta Sabæorum consideratio, utpote qui non unò, sed quatuor sunt sati. Alius Seba est filius Chus, alius Seba vel Scheba (Hanc primarum literarum differentiam Sabi filii Regma & D filii Chus in Hebræo benè quoque observavit *Pererius in h. l.*) filius Regma ex Cham; Alius Seba filius Saetan *Gen. 10. 7. 8. & 28.* Alius Seba Abrahami nepos *Gen. 25. 3;* Ex *Genealogia Sem. M. 7. H. in quest. Geogr. Sacr. p. 34.* primum, secundum & quartum prope mare Persicum (puta sinum Persicum) tertium vero in Arabia tertram infedisse, autumat. *Per. l. c.* dignus, qui audiatur, finitimas & contiguas ipsorum, præsertim filii Chus & filii Regma sedes probans, tum ex *Pf. 72 Reges Arabum* (Scheba) & *Saba dona adducent.* (conjunguntur, ut vicinitas eorum, longe lateque tamen fusorum cognosci liceat. Sabæorum enim maxima natio non ignota fuit *Strab. apud Perer. l. c.*) cum ex *Plin. l. 6. c. 28. Sabai Arabum populi propter thura clarissimi, ad utraq; maria porrectis gentibus habitant.* Quæ *Plinii verba Perer. l. c. p. 400.* ita explicat: *Quod autem Plinius dixit, Sabeos ad utraque maria porrectis gentibus habitare; intelligitur de mari (sinu) Persico & de Arabico s. rubro & de utraque gente Sabæorum, qui & ab hoc Saba, filio Chus & ab illo filio Regma genus duxerunt.* Hanc suam sententiam illustrat *Ex. c. 45.* quò *Misraim, Chus & Saba junguntur. Chus quidem inquit l. c. ad Ithbum, quo mare Syriacum & Ægyptiacum summoventur, à sinu Arabico s. à mari rubro: Saba autem ad ipsum Arabicum sinum.* Et in eadem paginà: *Posteri Regma ad sinum Persicum, posteri autem Chus ad sinum Arabicum magis vergebant.* Ita quoque pro sede in Arabià Sabæ nepotis Abrahami ex *v. 6. c. 25. Gen. Et separavit eos Abraham ab Isaac filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam Orientalem, acerrime pugnat.* Aliter sentit *Josephus l. 1. antiq. ex monumentis veterum ac celebrium Auctorum disputans: Omnibus suis filijs ac nepotibus ex Cetura susceptis, Abraham deducendi Colonias fuit Autor: occupaveruntq; illi Trogloditicam regionem & Arabia f. liciis quicquid ad mare rubrum pertinet.* Aliter *S. Hieron. in Trad. Hebr. in Gen. super c.*

25. verbis Josephi addens: *Alii contendunt à plerisque filiis Abrahamæ ex Ceturis, occupatas Indiæ regiones.* Utrique se opponit Perer. in h. l. (α) respuit regionem hanc Troglodyticam, quia Scriptura vocat regiones cum additò, Orientales respectu palæstinæ, quæ magis ad Chaldæam & Persidem (hodie Fars) spectant. Regio autem Troglodytica in Africa jacet, Æthiopicibus proxima & à supra dicta plaga Orientali remotissima. (β) per plagam Orientalem non intelligi Indiam, tribus argumentis pervadere ipse fatagit. 1. Quia non tam longinquo recessu infiniti laboris & multiplicis periculi, ad id, quod intendebat Abraham, opus fuit. (2.) Quia reliqui filii & nepotes Abrahami sedes in Arabia, vel aliis locis, palæstinæ, non verò Indiæ vicinis, habuerunt, quod ibidem probat. (3.) Quia nusquam in S. literis nec India, nec regiones, quæ ultra sinum Persicum sunt, nomine Orientis appellantur. (Scriptura enim orientis nomine non regionem quamlibet respectu Judææ designat, sed tantum ei propinquiorem & notam) Ubi manserit Seba filius Jactan? judicium suum suspexit. Mirus tamen (M. J. H. literæ symboli sui sunt initiales) l. c. audet locum Sabæ filio Jactan in Arabia determinare. Hoc non obstante, credi possunt Sabæi Indici, qui vel aliunde nomen mutuati sunt; vel idem retinentes ex Arabia in Indiam temporis successu iter aggressi ibidem commorati sunt, ut, ex cuius Sabæ linea fuerint, utique incertum sit. Singularem quandam opinionem *Pererius* innuere videtur, cum Sabæos Indicos cum Arabicis per longum tractum quasi conjungit. Postquam enim l. 15. de *multipl. hum. gen. post. dil. in Gen. 10.* distinxerat Sabam & Chvilam posteros Chus à Saba & Chvilah filiis Jactan, ut hi incoluerint Indiam, illi verò Arabiam, inquit: *Id quod non tacuit Scriptura, dicens liberos Jactan habitasse à Messa ad Sephar montem Orientalem: Nam Seba & Sebeba posteri Chus progenuerunt Sabæos ad utraq; porrectos maria, quibus Arabiæ cinguntur latera.* Et mox infra: *Cæterum Saba filius Jactan videtur processisse longius & Sabæos Indicos condidisse.* Sed à nemine facile applausum merebitur.

§. XXVI.

In ratione sententiæ secundæ nullam deprehendimus necessitatem consequentiæ: posteri Cham magna ex parte obtinuerunt Africam: Ergo Chvila filius Chus Africam petiit. Non omnes posteri Cham Africæ incolæ dicuntur, ut argumentatio à particulari, Africam fuisse Chvilah filii Chus patriam, non stringat. Chvilah enim Chusæus intra mare rubrum

brum in Arabiâ mansit, quamvis ipsius consanguinei trans mare rubrum progressi, terram mari proximam occupaverint in Africa. Hunc nodum bene solvit *Bochartus in Geogr. S. L. IV. c. 2.* Chus in Africâ, speciatim in Æthiopiâ non mansisse; Sed Æthiopia Ludæis relicta, revertem esse in Arabiam, ibiq; in filiis & nepotibus familias condidisse varias Dubio, tertia quod gignit opinio, solvendo succurremus, cum sub locò probaverimus, terræ tractum, quem Chvilah esse putant, ipsam esse Susianam, quam alluit non Pison, sed Gehon.

§. XXVII.

Supereft tandem, ut ostendamus utramque *חַוִּילָה* sitam esse in Arabia simulque observemus quam *חַוִּילָה* ambiverit fluvius Pison. Chvila filius Joctan juxta *Job. Henr. Hotting. Dissp. Enn. Diss. 3. de Parad.* genti prope Babyloniam Ptolemæo ignotâ, reliquis vero (scilicet Geographis & Historicis aded deformata, nimirum Chaulothæis, Chaulosis &c.) nomen dedit. Verba ejus sunt: *Pro Chavileis* (posteris Chvilæ filii Joctan) *alii habent Chaulotheos, Chaulosios, Chablasios, qui tamen omnes de voce חַוִּילָה plurale חַוִּילָהוּ denominantur, & de his quidem Erachostenes apud Strabonem, eos felici Arabiæ, ab Heroum urbe, Babylonem usque adjacere, Nabathæos, Chaulotheos & Agreos.* Horum plurima vero dicuntur de altero Chvila, filio Chus, quem in Africa fuisse putat Hottingerus. Juxta *Mirum l. c. p. 35.* hic Huila regionem Chaulam in Arabia non longe distantem à Sabæis instauravit; Cui *Huet tr. de Parad. c. 8.* ad stipulatur quoque, quod filius Joctan gentis, quæ regionem Chaulam incoluit, ad latus sinus Arabici, sive Maris rubri orientale, ad occidentem vero respectu Arabiæ felicis sitam conditor fuerit, ex *Bocharto in Phaleg. Polus* itidem *l. c. p. 127. Boeb. Phaleg. l. 2. c. 28.* citans affirmat, à Chvila ex Joctan occupatam esse terram Chaulam prope Sabæos in extremis Cassanitis. Resin vado est. Nam termini habitationis filiorum Joctan Messa sc. & mons Sephar intra Arabiam ostenduntur. Mælas in Indiâ, legit quidem in *Plin l. 20.* Saparum locum quoque in Indiâ notat *Bonsfrerius in b. l.* Ast contrarius est *Boeb. in Phal. l. 2. c. 15.* Neque sine fundamento. Supra notavimus ex *Pererio l. ibid. c. stylo* scripturæ קרם seu *ro* oriens non extendi ultra sinum Persicum (quæ verba cum grano salis sunt accipienda. Non enim latitudinis, sed longitudinis sinus Persici termini intelliguntur; *Hotting. tamen Ennead diss. disp. 3. p. 68. in sine* eximit *PERSLAM* à numero Regionum in sacris Orientalium.) Id

quod maxime conducit ad corroborandam hanc de Messa & Sephar sententiam 2. Reg. 17. 24. Sephar annumeratur locis proximioribus Babylo-
niæ quam Indiæ v. g. Babylo- ni, Cuthæ, Amath & Emeth, ex quibus Rex
Assyriorum, quid vero ipsi commercii cum Indiâ Orientali? ad possiden-
dam Samariam colonias misit. Putatur ipsa esse *Ptolemæi Σηφαρα*, de
qua habet *L. 5. c. 18.* numero binionis syris dicta, quod Euphrates interlu-
endo eam quasi secaret. Abydeno, uti Malvenda ex Junio refert, vocatur
Σηππαραρνών πόλις. Ab hac urbe *Polus com. in h. l.* nos remittit ad Sep-
phar, cujus Moses *Gen. 10. 30.* meminit. Qui locus autem vel alibi situs
& aliâ ex causa ita dicitur, vel idem Sephar, de quo *Moses Gen. 10.* non est,
quod ex sequentibus elucescit: Saphar regia urbs, unde Sapharitæ populi
vid. *Plin. l. 6. c. 23.* ubi ejusdem nominis mons, seu longa montium series
Ptol. Κλίμαξ Mosi Sephar dicta. Sephar vero montem esse in Arabiâ tes-
tatur alios inter ex *Eugubino Oleaster*, & Messam, emporium & portum
ad mare rubrum, *Prot. l. c. vid. Polus in Gen. 10. v. 30. p. 127. Pl. 120. 5.*
occurrit *משפ*. Quâ voce, gentem sive locum designari in Arabia Keda-
rena, cujus populi *Lampridio* Cedaræni, Cedaræi *Plinio*, lentit *Beroaldus*
in h. l. Suntque ipsi Arabes Scenitæ qui in tentoriis habitabant. *Gejerus*,
Ainsworthus in h. l. (à Kedar filio *Ismaelis Gen. 25. 13.* cujus posteri Ara-
biam inhabitaverunt. *Ainsworthus ex Es. 21. 13.* Alius est ab illo Melech,
qui cum Tuba jungitur.) *Conf. Polus in Ezech. 27. 13. & c. 38. 2. 3.* Cùm
Chaldæis & Syris *משפ* & Arabibus *משפ* sit pellis; concludimus cum
Polo com. in h. l. potuisse inter Arabes Kedarenos s. Scenitas locum
aliquem vocari *משפ* non à *Melechô filio Japhet*, sed à pellibus, quibus
tentoria obtegebantur. Claris radiis hanc sententiam affulget *Mirus in*
Geogr. sua sacr. ubi p. 32 & seq. tredecim filios Joctan, (ex optimis histo-
ricis) in Arabia & terrâ ei proximiori, quæ Arabiam Orientalem (non ut
India occidentalem) habuit, non autem ultra sinum Persicum, sedem ha-
buisset, erudite scribit. Arabia ceu potior pars nominatur; alias juxta *Po-
lum in Gen. 10. 28.* Avalienses ab Ebal filio Joctan oriundi in Nubiam us-
que pervenerunt, ad ingens Nili in Africa brachium trans mare rubrum.
Idem, posteros Joctan in infima Arabiæ felicis, in latitudine & longitudine,
mare versus à sinu Arabico ad Persicum subsedisse, docet *Bochart. Phal.
l. 2. c. 15.* Chusæos ædificia exstruxisse in Arabiâ, probatur eò ipsò, dum
evincimus, Chvilam filium Chus auctorem esse Chvilæ, quam alluit
Pison.

§. XXVIII.

Chvila filius Chus genitor fuit Hevilæorum, qui Ismaelitis & Amalekitis proximi, sinum Persicum versus habitaverunt. Similia habet *B. Perer. com. in b. l.* in eo tamen fallitur, cum Nabathæos, quos in Arabia recenset *Strabo Geographus l. 16.* eos esse censet, qui in Scripturâ vocantur Agareni & Chaulathæi, voce paululum immutata, quasi Chavilathæi à regione Chvilath; Cum tamen Chaulathæi hi inter Nabathæos & Agarenos sive Agreenfes solummodo ponantur, non tamen sint ipsi Nabathæi &c. Populi ab hoc Chvila denominati sunt Chauloteenfes, Chablasenfes & Chaveleenfes, quos inter Nabathæos & Agreenfes, origine Ismaelitas, Arabiam desertam, prope extremitatem sinus Persici inhabitantes collocant *Steuchus Cosm: Beroaldus Chronic. l. 2 Grotius in Gen. 2. 4. Hornius in Sulpit. Sever. lib. Bochart pbal. præf. § l. 4. c. 11. vid. Huet. tr. de Parad. c. 8. Mirus l. c. p. 51.* Ab hoc Chvila successive, aliis auctori- bus, aliis atque aliis nominibus, parum deficientebus à voce Originali Chvilâ, notos lege apud *Polum in b. l.* Quoniam Dionysius eodem populos eò ordine à Libano ad mare Persicum proponit; colligit inde *Bochart. l. c.* non Nabathæos sed Chaulathæos à Chvila sic dictos, Baby- loniæ proximos fuisse. Quod Chvila sinum Persicum inter & palæsti- nam fuerit locata, intelligitur ex *Gen. 25. Habitavit Ismael ab Hevilath usq; Sur, que respicit Egyptum, introcunibus Assyrios.* Hac verba Moïsis & mox citanda auctoris libri Samuelis perspicua reddidit *Huet l. c.* Nimirum ex textu elici debere, Moïsi & Auctori libri Samuelis propositum fuisse, duas Arabiæ, terræ sanctæ vicinæ, exprimere extremitates, Sur sc. & Hevilath. Sur desertum erat in aditu Ægypti, extremitatem sinus Ara- bici versus. Necesse ergo est, eos intellexisse Hevilath à nobis investi- gantem, quæ ab altera parte Arabiæ ad sinum Persicum & ejus oram septen- trionalem jacuit. Idem eadem vi & efficacia, ut ex *Huetio* indicavimus, probat locus *I. Sam. XV. 7. Percussit Saul Amaleck ab Havilah, veniente te in Sur, que est à regione Ægypti, cepitq; Agag Regem Amaleck vivum.* Amaleckitarum regio Palæstinæ, orientem versus cum proxima fuerit, quis sibi persuaderi patietur, Saul Amaleckitas ab India in Syriam & Palæstinam usque persecutum fuisse, quin potius advertat, terminum à quo proximiorum & intra Sinum Persicum esse constituendum. Erat verò Chvila Chaldæam inter & petram Nabathæam, metropolin sc. Nabathææ, regionis Syriæ in Arabia petraea conterminæ, ab Hiericunte oppido Judææ inter

inter Hierosol. & Jordanem sitò vid. *Plin. l. 5. c. 14.* distantem itinere trium aut quatuor dierum. conf. *Strab. l. 16.* Cum vero nulla alia præter Arabiam desertam deprehendatur Regio, Chaldæam inter & petram Nabathæam, quærenda est Chvila in Arabiâ desertâ, ubi præterlabitur fluvius, quæ non nisi Bassora est, quia Arabiam desertam alius districtus, collata tabulâ *Dankert de Imperio Turcico*, fluvius percurrat nullus. Hæc Chvila extremitatem sinus Persici versus sita, Bassoræ partem sub se comprehendit ab occidente illius alvei, qui ex duobus, in quos Euphrates post conjunctionem divisus, occidentalis est, quem alveum nos Pisonem esse volumus. Ipsa est terra, quam fluvium Pison alluere, in textu dicit Moses.

§. XXIX.

Kethzia, quibus Chvila dignosci possit, in textu à Mose allata, sunt aurum optimum *כסף & בררר*; opus ergo est, hæc tria in Chvilâ nostrâ Arabiâ inveniri, ut demonstremus. Aurum Arabicum laudat *Diodor. Sicul. Biblioth. l. 3. c. 12.* Non igni decoquitur, ut apud alios confuevit --- colore est ita lucido, ut pretiosos lapides ab Arrificibus auro inclusos splendidiore reddat vid. *Carver. de Parad. c. 14.* De auro Arabiæ *Hieropsaltes Ps. 72.* Plura lege apud *Huet. de Parad. c. 9.* *בררר* quarentibus juxta *Hypoth. spec. primam* afferre debemus Bdelium Arabicum ante omnia verò margaritas. De Bdeliò in Arabiâ testantur *Dioscorides l. 1. c. 81. Plin. l. 12. c. 9.* Nascitur sc. Bdelium, & in Arabia-Babylone. Et alii à *Huet. de parad. c. 10.* citati. Margaritarum copiam Arabibus nemo nisi historiarum hospes denegabit. *Tylos Insula* (quæ juxta *Plin. lib. 12. c. 10.* in sinu Persicò est) plurimis margaritis celeberrima. *Plin. l. 6. c. 28.* Et *l. 9. c. 35.* Præcipuè autem laudantur (sc. Margaritæ) circa Arabiam in Persico sinu maris rubri. (Sumitur vero h. l. mare rubrum pro mari magnò Arabiçò, cujus sinus est.) conf. *Ælianus de amn. l. 10. c. 13.* & quorum meminit *Huet. l. c.* Omissum *כסף* in textu non impedit, quò minus margarita, utpote quæ sub genere gemmæ est, consequenter lapidis quoque, possit intelligi. Non enim est lapis, ut sequens *Soham*, quia non est lapis in terra editus, quomodo gemmæ propriè dicitur inquit *Polus in h. l.* Quæ terra, cæteris paribus, hæc duo proferret, titulum felicis *כסף* non abnuet. Præter dicta, ea quoque, quæ aliquam cum enumeratione habent, & quoad album colorem *כסף* speciem quasi præ se ferunt, adducemus. *Polus*, qui piper & *Garyophyllum* defendit, sine dubio *l. supra c.* quia itidem pro Chvila circa Babylone

51

Babyloniam militat, hæc quoque in Arabia deprehendi, indigitabit. Cæteroque duas constituemus classes, in quarum primam collocabimus lapides dignitate æque ac albedine certantes. Equidem multi, quia nomen lapidis non præpositum est ברורח sicuti subsequenti, hoc labore nos abdicant, negantes ברורח lapidem significare posse, quamvis pro margaritis defensionem admittere vellent. Ast, eo ipsò lapidum jure ברורח privato nequit. Notum est, lapides quosdam pretiosos absolutè, quosdam verò vocari cum addito sui generis, prouti nimirum apud populum, in consuetudinem venit. Sic nos, genere lapidis adjectò, rectè dicimus: *Est Amat Stein / Bezoar Stein / &c.* cum non facile quis dixerit: *Damant Stein / Smaragd Stein &c.* Sed hoc parum curamus, sufficit, nos ex abundantia monstrare, & aliis albis lapidibus fertilem esse terram ברורח. Ad secundam classem spectant arbores aromaticæ & frutices odoriferi. Lapidés albos inter primum locum tenet Adamas crystallo similis; hunc in Arabia effodi, παραδοξον illi haud erit, qui novit, Admantem, (quod Physici tradunt) non nisi in metallis, præprimis verò in auro inveniri. Jam fecunda ejus mater, aurum sc. idque purissimum & optimum, Arabiam reddit clariorem, quidni ergo & Adamas. Extra aurum quoque nasci dicitur Indicus & Arabicus. vid. *Magiri Physiol. Peripat. p. 415. Plin. l. 37. c. 4.* Juxta *Scalig. exercit. 119. & Mag. com. in Phys. l. V. c. 2.* qui crystallum definiunt, quod sit *lapis pellucidus, candidus ex glacie gelu vehementiore concretus & ut plurimum sub terrâ generatus, ubi hybernae nives rigent, ut in caucibus Alpium*, ut propterea subtilis nota sit controversia de origine & materia crystalli Card. num inter & Scalig. l. c. Arabicum vix ac nevis expectandum esset. Verum enim verò *Excell. Dominus M. Paul. Rab. Prof. Phil. primæ & Log. P. O. in hac Albertina celeberrimus, vir ut multe lectionis, ita & fidei non fluxæ, studiorum meorum Promotor quondam vigilantissimus, Patronus condendissimus in cursu Phil. p. 993.* contrarium approbans, experientia teste, alias inter rationes docet, crystallum, non quàm maximè in septentrione, sed potius in India, Arabia & aliis calidioribus nasci regionibus. *Juba autor est, & in quadam insula Rubri maris ante Arabiam sita nasci* (sc. crystallum) *Plin. l. 37. c. 2.* Alii lapides, quorum Critici & Interpretes S. Scripturæ mentionem faciunt, quia non sunt albi, huc non pertinent. Illis in secunda classe satisfaciunt testimonia *Nearchi, Alexandri Thalassiarche apud Strab. Geogr. l. 16.* *Ibi (ad oram Perficam) esse multos & pretiosos*

H

unio-

uniones & claros & pellucidos lapillos & arbores tibus redolentes; Et Plinius L. VI. c. 28. Sabeos, (quos Chvila confines nominavimus) ditissimos Sylvarum fertilitate odorifera, auri metallis, agrorum riguis mellis ceraeque proventu. Adduximus ea firmioris agnitionis gratiâ ad quæ profertenda juxta Hypoth. spec. primam non fuimus obligati.

§. XXX.

Lapides pretiosos juxta Hypoth. spec. secundam in genere dari in Arabia, tum ex supra dictis, cum ex sequentibus facile est collectu. Nam Plinius lib. VI. c. 28. prædicat Arabes gentes ditissimas, ut apud quas maxime opes Romanorum Parthorumq; subsistant, vendentibus, quæ è mari aut sylvis capiant, nihil invicem redimentibus. A genere ad nonnullas gemmarum species ut descendamus, ipse Plin. l. 36. c. 8. testatur, Lygdinos antea ex Arabia tantum advehi solitos. Topazium Arabicam ex sententia Archelai itidem probat: Id, inquit, accidit in Arabia insulâ, quæ Chiris vocatur: in quâ Troglodyte prædones, cum diutius fame & tempestate pressi, herbas radicesq; effoderent, evenerunt Topazion: Item Praloidem atq; Chrylopteron gemmas in Arabia inveniri, in nidis avium, quas melancoryphos vocant: l. 37. c. 8. Et l. c. c. 7. sequentia habet. Sandastros, quam aliqui Garamaaiten vocant &c. gignieur & in Arabia ad meridiem versa. Sunt, qui præferant Arabicas Indicis, sumideq; Chrysolitho illas similes dicunt. vid. Plin per lib. 37. & ult. ferè torum Diodor. l. 2. Onychem urgentibus vel unicum Plinium opponere possemus cujus verba l. 36. c. 7. hæc sunt: Onychem in Arabia montibus nec unquam a libi nasci, putavere nostri veteres. Idem l. 37. c. 7. Sarda utilissima, quæ nomen cum Sardonyche communicavit: ipsa gemma vulgaris & primum Sardibus reperta, sed laudatissima circa Babyloniam, cum lapidicines quadam aperirentur, herens in saxi corde. Harum pretiosarum mercium Chvila nostra quoq; particeps fuit. Præter quas ipsa ferebat, multum gemmarum atq; lapidum, huc, quia Provincia hæc è erat extrema, & Sinui persico proxima, ex aliis Arabiæ partibus, notante Huetio, deportabatur: Cum insuper frequentes facerent transitus, magna auri, gemmarum &c. copia in emporiis atq; armentariis, quin asservari potuerit, nullus dubito. Mercatores Arabiæ Dedan & Kedar, Haran, Chene, Eden, Saba, Assur & Chelmu prætiosis mercibus, per Euphratem atq; sinum Persicum, magnum inter se exercuisse commercium, colligit Huet. c. 9. ex Ezech. 27. 20. seqq. Neq; plus Hebraica vox 𐤀𐤃 in textu insert; neq; aliâ ratione processerunt, qui suam in Indiâ probârunt

runt

55

runt חוילה. Hæc sufficienter & optimè faciunt pro Chvila, donec, quæ lapidis species præcisè sit intelligenda, inter se convenient. Speciatim verò, qui de lapide vel arbore Arabibus ignotis loquuntur, ignoscant, si ipsorum opinionem, corroboratâ nostrâ, de Bdellio præsertim verò margarita & lapide pretiosò in genere, postposuerimus, nisi conciliaverint expositionum dissonantiam, suamq; bonis rationibus ornatam, (quod tamen ægrè fieri potest) prætulerint. Verteabant veteres ut plurimum hos incognitos lapides ita, ut invenirentur in illis locis, quæ חוילה esse volebant. Huic affinia tradit *Perer. com. in b. l. quò sit, ut Scripturæ Interpretes, tam Græci, quàm Latini ea sæpè transtulerint, non quæli sunt Hebraicè, sed qualia reperiebantur apud Græcos & Latinos illis similitudine aliquâ & proportione respondentia.*

§. XXXI.

Collustrata atque probè perspecta חוילה ארץ paucis quoq; ostendendum erit, quid sibi velit vocabulum חסכב.

HYPOTH. IV.

סכב *alia inter significat, vertit se, divertit.*

Hanc significationem, alias inter quas *Buxt. Lex. Hebr. & Chald.* collegit, reperimus, praxiq; usitatâ stabilimus. *Josua 15. 3.* tribui Judæ locum in terra Canaan assignans, eumq; meridiem versus terminans, utitur voce סכב (in Kal & Niphal eundem obtinet significationem) h. l. reddendum esset: circumdedit, emergeret inde sensus: In parte Meridionali angustis terminis קרקעו tribum Judæ fuisse inclusum, cui tamen reliqua loca obstant. Quinimò, omnes mundi plagas connotasset Auctor, quod sequentem tollit descriptionem & omnem evertit locorum situationem, id quod ex tabularum Geographicarum terræ S. inspectione & applicatione perspicuum redditur. *Jos. 15. 10.* vocabulò סכב Auctorem sacrum docere, fines tribus Judæ porrectos fuisse, non rectâ, sed per circuitum h. e. per viam incurvatam, (in qua significatione סכב ibidem passim occurrit,) res ipsa loquitur. Denotat ergò potius porrectionem & extensionem terminorum tribus Judæ in parte meridionali, occidentalem ad oram vergente *Polus Syn. Crit. & al. com. in Jos. 15. 3. ex Masio סכב gyrabat,* ita restringit: *significat, normam dimensionis sinuari, non prorsus rectâ duci.* Περικύω, quod significatione cum סכב convenit & à Græcis interpretibus loco ejus substituitur, expositionem per flectere se, huc illuc verti, &c. non respuit. *Conf. Mat. 23. 15.* Er hujus Synonymum

H 2

mum

num περιέρχουμαι *Hebr. 11. 37.* exprimit latinum oberrare, flectere se, non verò præcise & semper circumire. Objicis Mosesubi de simplici cursu & prolapsu in textu loquitur, adhibet vocem הָרַךְ. Enim verò, hoc non obstante, סָבַב reddi potest, vertit se. Quid, si dixerimus, melius סָבַב quàm הָרַךְ cursum inflexum alveorum Euphratis & Tigris post conjunctionem divisorum exhibere. Fluvius enim circumire dicitur terram, dummodo ejus alterutram partem inflexo cursu uti h. l. aluit. הָרַךְ verò rectius ad designandum Tigris cursum, utpote qui ivit & venit, quæ vocis significatio est, à Mose adducitur. Nonnè respectu divisionis in Edene factæ, Tigris aliunde, nimirum ex Armenia provenit; Pison verò & Gihon ab hoc Edenis locò se avertunt, ut singulæ voces singularem involvant emphasin. Item נָסַב & נָסַב alternant & inter se permutantur. vid. *Num. 34. 4. Job. 15. 3.*

§. XXXII.

Brevem, ut plenius res intelligatur, instituemus repetitionem. הַרְיֵלָה alia fuit regio, quam posteris suis condidit Hevila filius Jacketan filii Eber in Arabia felici, non à Sabæis procul distantem; Alia, cujus conditor fuit Chvila filius Chus, Babyloniam inter & Arabiam felicem sita, quam cursu incurvatò paulisper פִּישׁוֹן tangere, Moses docet quamvè gemmarum, Bdelli & variorum pretiosissimorum lapidum copià fertilem deprædicat ipse.

§. XXXIII.

Sic itur ad פִּישׁוֹן. Quæ vox juxta plurimos Grammaticorum, teste *Huetio de parad. c. 7.* derivatur à פִּישׁ circumfluere, in abundantia esse augeri, multiplicari; juxta nonnullos à פִּישׁ se diffudit, crevit, ab aquarum incremento & multitudine. *Rabbi Salomon (Jarchi) Paulus Fagius, Oleaster, Ainsworthus & Malvenda in hunc locum. Joseph. antiq. l. 1. c. 2. reddidit per τὸ πληθύνει abundantia. Scaliger. de emend. temp. l. 5. πληθύνωσα vertit, i. e. exundatio, æstus, fluxus maris. Huc quadrat, quod Ecclesiastes 24. 35. de DEO habet, quod omnia sapientia impleverit, sicut Pison. Isidorus, Rabanus, Rupertus & alii apud Perer. com. in Gen. c. 2. v. 11. prodiderunt, פִּישׁוֹן hebraicè significare immutationem oris & vultus. Derivationem autem à פִּישׁוֹן à פִּישׁוֹן improbat Hottingerus disp. de Parad. p. 67. ut incommodam & tortam; quo in loco circa finem, verbum antiquum & inusitatum פִּישׁוֹן ccu meliorem & commodiorem פִּישׁוֹן radicem anteponit פִּישׁוֹן.*

§. XXXIV.

Hæc Hypothesium præmissarum cenosurâ utentes, fluvios Paradisi, nomine פַּרְדֵּיִם quidem notos, re tamen fictitios, sine labore evitabimus: Ita, Gangem פַּרְדֵּיִם esse, constanter negamus, licet contrarium sibi persuasum habeant Joseph. Antiq. l. 1. c. 2. Euseb. de loc. Ebr. Epiphan. anc. c. 58 Ambros. de Parad. c. 3. Hieron. epist. 4. ad Rust. c. 1. & quæst. Ebr. ad Gen. Aug. de Gen. ad literam l. 8. c. 7. Damascen. l. 2. O. F. c. 9. & alii à Polô, Per. in h. l. & Aug. Pfeiff. dub. vex. p. 17. annotati. Est enim Ganges fluvius Indiæ in Asia maximus, qui universam secat Indiam, secum aureas arenas trahens. Fontes ejus alii incertos esse tradunt, vicinaque omnia rigare, quemadmodum & Nilum. Alii in Scythicis nasci montibus, ipsamque Indiam secare dixerunt, fluereque in eum triginta annes &c. apud Calep. Onomast. prop. nom. p. 137. Confer. Strabo l. XII. Plin. l. 6. c. 18. Latitudine est trium milliarum Germanicorum, juxta quem India quondam divisa fuit in Indiam extra & intra Gangem; Philostratus in vita Apollonii Tyanei Curt. l. 9. de rebus gestis Alex. M. hodie vero in veterem & novam. Neandri Synopsis Orb. Petr. Massæus l. 1. vid. Corv. fon. Lat. par. alt. Ast locus, unde fluvius exeundo se divisit juxta hypoth. gen. V. non India, sed Babylonia est; nullam præterea infert schesin & cognationem cum Euphrate, qui tamen juxta hypoth. gen. IX. principalis est fluviorum parad. hivè juxta hypoth. gen. X. debent coherere. Quin imò Clivila, quam alluere dicitur in textu, frustra, cum juxta hypoth. spec. 3. ad Arabiam desertam sit sita, in India quæritur. Gemmarum & pretiosorum lapidum feracitas, quæ Gangem præ aliis fluviiis evehit, non sufficit, quia juxta hypoth. gen. X. & alia adesse debent requisita. Multò minus ordo fluviorum Eccles. 24. 35. seqq. recentiorum pro Gange quid facit. In animum induxerunt Patres, auctorem S. Hebræorum more fluviorum enumerationem inchoasse ab Oriente & finivisse in Occidente; cum verò in Oriente Ganges sit nobilissimus, hunc nomine Pison intelligi; nomine Gehon verò post Jordanem clarissimum, qui est Nilus. Ac si non potuerit nominare eos, uti inciderant. Fluvios istos ab ubertate laudat, quos distingvit non ratione sitûs, sed temporis, quò exundant; quod vero primo posuerit loco Pisonem, non sit, quod magis est Orientalis, quam Tigris, sed quod ut Sinui Persico vicinior magis intumescit, unde Pison quoque nomen habet. Et si hoc non esset, nihil tamen hoc dicto efficeret. Nam non sequitur, hic fluvius prior est narratione, ergò quoque situatione;

præsertim si aliud intendatur, & non ita habeatur ratio fluviorum, quàm ejus tertii, cum quò res quædam convenire dicitur, ut hoc loco. Argumenta pro Gange ab Etymologia פֶּרַס desumpta vel competunt & aliis fluvii, adeò ut noster Pischon de iisdem, quemadmodum infra suo loco audiemus, sibi gratulari possit; vel vim vocis plane non urgent. Quando in medio relinquimus, פֶּרַס immutationem oris & vultus significare, nulla nos cogit necessitas, hoc applicare ad Gangem, qui sæpe est sui dissimilis in cursu, velin quantitate aliquando latissime fusus & aliquibus locis in angustum coarctatus: velin colore alicubi fluens pellucidus, alicubi turbidus, vel in sensibili qualitate alicubi frigidus, alicubi calidus. *Perer. com. in Gen. p. 105.* Potest enim suo modo & de aliis dici, qui exundantes, cursum inchoantes, promoventes, & sinu maris vel mari ipso interveniente, abruptentes, sui sunt dissimiles. Rectè quidem Pison dicitur ab abundantia, non tamen in specie piscium, & quidem maximorum, angvillarum, nempe *triginta pedum longitudinis*, quales Gangem alere *Plin. lib. 9 c. 3.* tradit idem ibid. Neque *properea, quod decem magna flumina aquas suas in ipsum exonerant*, referente *Isidoro l. 13. Etym. c. 21. Perer. l. c.*; sed aliam ob causam, quam *Horring. Disp. de Parad. p. 69.* asserit: פֶּרַס, inquit, dicitur vel à copia aquæ, quæ tanquam ad confluentem major ibi est, quàm in cæteris abeis, vel ab ubertate Salicum. Longè abest, ut Pison salutetur, nedum ut Ganges principalis sit, quia honor juxta *hypoth. gener. IX.* soli competit Euphrati, vid. *Pfeiff. l. c. p. 17.* Ad *Theodoret in quest. 29. super Gen. & Aug. l. 8. de Gen. ad lit. c. 7.* respondet *Per. l. c. in fine.* Evertitur insuper hæc exceptio, *hypoth. gen. Xma:* utpote quæ fluviorum Parad. per secretos & ignotos anfractus fabulosam conjunctionem fastidit.

§. XXXV.

Quare Indus fluvius in India, quem effusum ajunt, in jugo Caucafi montis, quod vocatur Paropamissus adversus solis ortum, *Arrianus l. 5. de rebus gest. Alex. Calep. Onomast. prop. nom.* huc trahi nequeat, ex præcedentibus patet. Eadem fata habet Hydaspes, fluvius Indiar, dictus ab Hydaspæ antiquissimo Medorum Rege, qui fluvius per Parthos & Medos fluens in Indiam extenditur, Nylamque urbem alluens Indo flumini miscetur *Calep. l. c.* juxta alios verò non in Indum, sed in mare labitur, *Lucan. 6.* cujus delicatissimæ aquæ circa Susa urbem. *Curt. lib. 5. Corv. l. c.* Quicquid etiam pro Hydaspæ protulerit *Philosorgius lib. 3. c. 10.*

eum

57

eum non solum febre laborantes, si in ipso aestu in eundem fluvium se immergant, sanitati restituere; verum etiam arborem ferre, caryophylla proferentem, quam regionis incolæ pro Paradisi arbore habeant. Nam, præter dicta de Paradisi fluviis juxta *hypoth. gen. imam* non nisi ex Moysi descriptione judicium ferri potest & debet. Neq; aliam sortem expectandam esse Hyphasi indicat ipsa fluvii conditio, dum juxta alios Indo se conjungit, juxta alios verò proprio ostio in mare se effundit. vid. *Huet. de parad. c. 7.* Quid sentiendum erit de Nilo dignus ne, qui Paradisiacus Pison audiat? affirmativam sententiam arripiunt optimi atq; antiquissimi Rabbini, Arrabes &c. vid. *Polus & Horring. ll. cc.* negativam verò nos approbamus, quia descriptio Nili adverteatur hypothesebus tum generalibus cum specialibus. Nimirum Nilus est Ægypti fluvius in Africâ, à Nilo Rege sic dictus, vel à novo luto inferendo, ortus, ut aliqui opinantur, in montibus lunæ in Æthiopiâ australi vid. *Sen. l. 4. nat. quæst. Plin. l. 5. c. 9. & lib. 18. c. 18. Philostrat. l. 1. M. Frider. Wendel. admiranda Nili*, septem ostiis se in mare mediterraneum præcipitat. Plura de hoc fluvio lege apud *Calep. l. c. p. 205.* Eâ ratione Eden in Africa erit, quod est contra *hypothesein generalem quintam*, & Ægyptus ipsa Chvila contra *hypoth. spec. 3.* quæ firmata *hypoth. spec. 1. & 2.*; nihil commercii habet cum Euphrate contra *hypoth. gen. IX.* Nulla enim subterranea conjunctio juxta *hypoth. generalem X.* locum habere potest. Deductionem פישון à פשתהו *lino*, *linificio* ridet *Horring. l. c. p. 67.* ut nihil intersit sive Nilus abundet Papyro ac bysso usq; aded, ut *Es. 19. Ægyptii פשתים עבדו opifices lini*, ab illa mercede, que פשתהו *Hebrais dicitur, vocent*; sive non. Si Nilus quippe qui Judæis erat notissimus, esset Pison certè tot notis à Mose non fuisset illustratus; è contrario à LXX. nonnunquam expressus legeretur. Quod dubium movet *Flacius Illyricus in clave sub voce Nili.* Certè, inquit, illa non est contemnenda conjectura, quod LXX., qui Nili plurimam habuerunt notitiam, Hebraas voces Gibon & Phison retinuerint, nec Gangem, nec Nilum vertentes; cum alioqui procul dubio vel Regi ac Ægyptiis gratificari cupientes, libentissimè Nilum vertissent, eorumq; dilectissimum fluvium ex Paradiso deduxissent, si id, cum aliqua specie veritatis se facere posse, sperassent. Suppositivum alium פישון obtulit nobis apud *Huet. de Parad. c. 7. Hayrbon, Armenia Princeps*, Oxum scilicet magnum illum fluvium Zagarhai provincie, quæ est Scythia

thia, intra imaam montem, qui à parte orientali in mare Caspium ca-
dit. *Schroët 2 part. Cosm. hist. Corv. l. c.* Oxus ut Ptolem. sive Oxo, ut So-
linus, amnis est in lacu Oxia, *Calep. l. c.* Alii Phasidem Colchorum flu-
vium in Asia juxta Pontum de quo *Lucanus lib. 3.* ad cujus ostium si-
tum erat ejusdem nominis oppidum *Plin. l. 6. c. 4. Corv. l. c. p. 128.* *פוש*
esse volunt, vid. *Huet. l. c.* Nummè verò Scythia est Babylonia, ubi juxta
hyp. gen. 5. Eden, aut mare Caspiùm ipse Sinus Persicus? quem versus
Chvila vergit juxta *hyp. spec. 3. §. 26.* circa finem. Quomodo ex Colchide
fiet regio Chvila? quomodo uterq; fluvius ex Euphrate? quod juxta
hypoth. gen. IX. conf. & X. fieri tamen deberet, Quid Severiano Episco-
po G. abalitano & Cæsario S. Gregorii Nazianzeni fratri apud *Huet. l. c.*
in mentem venerit, Danubium pro Pisonè citantibus, meritò miraberis.
Nam Danubius est Europæ fluvius, ortus in jugis Abnobæ montis
Germaniæ, in eo tractu, qui hodie appellatur die Bar in pago quodam
Wschingen / quinde Thon Wschingen vocatur &c. Ubi primum Il-
lyricum alluit, Ister appellatur (flumen Sveciæ dictum etiam Ister & Hister,
maximè ubi in Orientem vergit) Hungariam perlabitur & sibi proximam
habet Bohemiam; sexaginta annibus receptis, vastis juxta quosdam quin-
que, juxta quosdam sex, *Plin. lib. 4. c. 12.* vel septem fluminibus & ostiis
in Pontum Euxinum evolvitur. vid. *Arriani Periplus Pont. Euxin. & in*
eundem comment. Guilielmi Stuchi, Cluv. de Vindel. & Noric. c. 6. Zell.
itin. Germ. c. 3. & alii apud Corv. l. c. p. 159. Ergo Germania est Asia?
Babylonia, Eden & Arabia in Germania? *ἀδοξου!* Aurum atque gemmæ
vehat & reponat; (cum tamen *Huet. l. c.* desideret margaritas aut bdellium)
non tamen propterea est Pison. Ut tolerabilior esset sententia, cre-
dit *Cæsarius* apud *Huet. l. c.* Danubium esse Pisonem, Gangem atque In-
dum, qui Æthiopiæ & Elimaida, (quam regionem Chvilam esse fingit,)
percurrens Gader versus in Oceanum cadit; sed huic occurrit *hypoth.*
gen. Xma.

§. XXXVI.

Quibus æquivocatio fluvii regii seu Basilii, qui alias Nahar-Malca di-
citur, nota est, nobiscum agnoscent, Pisonem & Nahar-Malcam non reci-
procari. Nahar-Malca unus esse creditur ex alveis, Euphratem cum Tigri-
de conjungentibus à Nebuchodonosore factus, & propterea à Chaldæis
Naharmalca, à Græcis vero βασιλει^ς seu regius vocatus. Quid Pisoni
cum Naharmalca qui juxta *hypoth. gener. IX.* non attenditur, neque Chvi-
lam,

59

lam, quæ longè infra hunc alveum sita est, alluit. Ergo neque juxta hyp.
spec. 3. Pison est. Hic Basilius fluvius non debet confundi cum Nahar-
 malca fluvio, quem *Pfeiff & Hottinger. l. cc.* cum Pifone coincidere pu-
 tant; qui nobis verò erit Gichon. Nonnulla, sine quibus Pison intelligi
 nequit, sunt repetenda. Supra habuimus Euphratem cum Tigride coire, &
 quia hunc, ut principalior absorbet, nomen in textu potissimum retinere,
 postmodum verò in duo brachia, quæ in sinum Persicum propriis se evol-
 vunt ostiis. divisum nomen mutare. Quæstio oritur, quis nam Euphratis
 alveus sit Pison quæsitus? Respondemus; non alveus Orientalis; contra-
 rium licet svadeant, *Calvinus, Scalig. Horring. l. c. Aug. Pfeiff. dub. vex.*
p. 18. seqq. Alveus enim hicce non Arabiam versus tendit, ubi juxta hy-
 poth. *spec. 3.* Chvila; sed Persiæ limites fecundat. Sit Susiana auri optimi,
 Onychis & Bdellii ferax, tellibus *Plinio l. 6. c. 27. & Solino Polyhist. 68.*;
 iisdem & nostra Arabica gaudet Chvila juxta hypoth. *spec. 3.* collat. Euphratis
spec. 1. & 2. Sed est ex duobus illis alveis, in quos Tigris & Euphrates
 postquam conjuncti fuere, dispescuntur occidentalis.

§. XXXVII.

Statim in fronte Pisonis notamus æquivocationem. Nomine hocce
 uti superbiunt omnes modo nominati fluvii; ita præsertim id nomen
 cum ingente alveo Euphratis atque Tigris permixtorum, post Mosis tem-
 pora commune habuit. Unde ex vocabulis conjunctis Pisonis & Tigris
 nomen Pasitigridis *Plin. l. 6. c. 19. l. 6. c. 27. Strabo l. 15.* cum vero Eu-
 phrates etiam spectet ad ingentem istum fluvium, hinc quoque obtinuit, ut
 Pasitigris vocaretur. *Ejus meminit Ecclesiast. c. 24. v. 34. ex eo, inquit,*
Polus Syn. Crit. comment. in Gen. 2. 11. Dicitur ager illi adjacens Pifison
Procop. de adif. Quemadmodum hodie teste *Huet. l. c. Schal-el-Arab.*
fluvius Arabicus omnibus Euphratis partibus inditur; ita Euphrates, Tigris
 & Pasitigris infra conjunctionem omnes indifferenter vocantur. Quæ se-
 quuntur, merentur certè, ut ex *Huet. tract. de Parad. p. 34. circa finem*
 exscribantur: Alexandri exercitus ab Oriente rediens, fluvio Oroati no-
 men Pasitigridis imponebat. Postmodum Historici, victorias Alexan-
 dri juxta militum relationes conscribentes, neque falsum Pasitigridem (O-
 roatem) à vero distingventes, non solum ex fluviis duobus; sed etiam ex
 Eulæa, qui idem est, ut aliqui opinantur, ac Choaspis, (*qui est Medorum*
fluvius ad fines Persidis in Tigrim desuens, Calep. Onomast. nom. prop. p.
87.) secundum alios verò Choaspem suum tantummodo in rivum recipi-
 ens

ens Pasitigridem fecerunt; Cumque nomen Pasitigridis ipsi dedissent, Euphratis atque Tigris nomen gerere, ultro permiserunt.

§. XXXVIII.

Primariò verò Pison est alveus Occidentalis, quem *M. Thevenotius* in *relat. itin. suorum tom. secund. liv. 3. chap. 9. & 11.* describit, inter terram firmam Bassoræ & Insulam Chader eundem procedere memorans & in meridiem tendere. Probat, quia is veram Chvilam in Bassoræ parte juxta *hypoth. spec. 3.* ambit, ubi juxta *hypoth. spec. 1. & 2.* Bdellium & Onyx; In Babylonia, quo in loco, quia ibi Eden juxta *Hypoth. gen. 5.* fluvius, juxta *hypoth. gen. 7.* se divisit, finditur. Ex Euphrate, quod *hypoth. gen. 9.* requirit, emergit, ita ut juxta *hypoth. gen. 10.* à fluviis Paradisi reliquis, terrâ firmâ non interveniente, non sit separatus, quin Pisonis requisita à Mose consignata habeat omnia. Sententiæ nostræ ad stipulantur apud *Huet. c. l. citati* & quidem obscure & ex parte *Schikardus com. in Tarich. Reg. Pers.* scribens: Fluvium Pisonem in Arabia esse quaerendum, omnesque Paradisi fluvios in sinum Persicum per ostia evolvi, quorum unum alteri sit satis propinquum, *Steuchus Cosmop.* Pisonem ex Euphrate egredi, cursumque suum Arabes Chavilateenses versus extendere (in eo tamen fallitur, dum Pisonem non ex Euphrate & Tigride conjunctis, sed ex Euphrate ante conjunctionem prodire facit) clarius *Arabes acutiores Giggeus Lexic. Arab. Tom. 5. p. 1056. Golius Lex. Arab. p. 1339. Kircherus Jesuvita Turr. Bab. l. 1. c. 5. in mappa, quam descriptioni Babelicæ inseruit, quatuor fluviorum Parad. cursum representans, nomen Pisonis, alveo occidentali, Gehonis verò Orientali imponit. Bochartus Hieroz. Part. 2. l. 5. c. 5. seu lib. de animal. S. Sacre, Pisonem cum Euphratis ramum esse credit, quem *Teixeira voyag. dec. Indes en Irac. Chap. 3.* (de itinere ab India in Italiam) in sinum Persicum ad Catipham propè Bahreinam se præcipitare affirmat. (Catipha ex *Huet. l. c.* urbs est ad latus Arabiæ Orientale, unde Sinui Persico nomen maris Elcatiphi Bahreina insula est ejusdem sinus ab eadem Catipha 10. circiter milliaria distans.) Denominatio ipsi alveo Occidentali optimè convenit. Nam in hac extremitate sinus Persici, tam violenti sunt æstus, ut objectos aggeres transcendant, & exinde totum istud latus, teste *Strab. lib. 16.* lacubus, paludibus, atque Sabulo plenum sit, Verba *Plinii lib. 18. c. 17.* *linum autem non invehunt Euphrates, Tigrisq., sicut in Ægypto Nilus,* intelligenda sunt de fluviis hisce, ubi proximiores sunt fontibus, in Babylonia autem ante divisionem; non verò ubi post diviso-*

nem

61

nem ab æstuante sinu Persico, turbulentiores redduntur. Ad hæc Pison, ut illis satisficiamus, qui Pisonem significare ajunt, immutationem oris & vultus, clarior erit, ubi remotior à sinu, turbulentior verò ubi proximior ei; item dissimilis sui erit, quoad colorem, calorem, saporem &c. limitibus suis non contentus ripas quando transcendit. Obviam ire poterimus cavillationibus Burnetii & aliorum: nos verba Mosis torquere; cum enim incipiat à Pifone subinnui fluvium maximum, juxta alios magis Orientalem. Sed primus est non maximus, non magis Orientalis. Primo verò loco Moses Pisonem nominavit, quia ipsi, Pentateuchum suum in Arabia Petræa scribenti erat proximus, ab hoc venit ad alveum orientalem, superatò hoc ad sinistram sese flecit Tigridem nominans, tandem revertitur ad Euphratem. En ordinem à Mose observatum! confer. *Huet. de Parad. c. 7.* Pari modo & alias diluimus objectiones. Dicit: hunc occidentalem alveum in Paradisum non esse ingressum; reponimus, neque hoc necesse juxta *hypoth. gen. 6.* ut omnes fluvii ingrediantur hortum. Instas, Paradisum abhorreere ab ejusmodi vasto loco, à fluviorum conjunctione ad eorumdem divisionem: nos obvertimus *hypoth. gen. 7.* Et juxta *hypoth. gen. 8.* rectè fluvius divisus & distinctus esse potest, licet non proprio gaudeat fonte. Non, pergis, circumamit Chvilam. Quid inde? neque hoc Moses vult, conf. *hypoth. spec. 4.* Si, quæ plura occurrerent dubia, omnia mediantibus hypothésibus facillè solvantur. Quid si alveus iste Occidentalis longè infra Mosis ætatem subsederit, & quidem is ipse esset, qui opere Regum ductus est, Gobare Præfecto Persarum Regis? *Plin. l. 6. c. 26.* Minimè gentium, hoc regium flumen Armalchar remotius fuit à sinu Persico in Babylonia, quare Plinius l. c. adjicit: *Ne præcipiti cursu Babyloniæ insisteret.* Non oleum perdidisse mus atque operam, etiamsi fluvius hicce ab Occidente insulam Chader claudens naturalis non esset; sed quem Alexander M in terrâ solidiori atque petrosa fieri jussisset, ut Arabiam versus navigare posset. Nam in propatulo est, alium Pisonem non dari. Hicce ergo alveus ab Alexandro confectus Pisonis naturalis, quo de Moses loquitur, quive per maris refluxum ob fundum lutulentum facillè occludebatur, illi tanquam proximus succedens, vices præstare poterit, ut sine erroris crimine Pison dicatur. *Huet. rr. de Parad. c. 7. Hotting. Ennead. Dissp. disp. 3. de Parad.* hunc occidentalem fluvium, seu vocabulum *πολύμημον* introducit, quem Abydenus appellat *ἡρακλείων* (castigatius *νακεραίων*) Plinius Narragam (כּוּר אֲבִי) fluvius stagni vel paludis) Ptolem. Baarsarem (vitiosè Maarfarem כּוּר אֲבִי) palus inun-

inundans) Ammianus Marſian, eſtq; juxta Bochart. l. i. c. 8. ipſe סורא
 נהר fluvius Soreniſis, ad quem ſita fuit Babylon, (ita tamen, ut ad Baſſoram
 porrectus ſinum Perſicum attingat, alias palpabilis error eſſet) diſtinctus ve-
 rò à fluvio Sud (Græci vocant ποταμὸν Σιδ) cujus Baruci l. 4. fit mentio,
 quivè, quod *Golius in Lexic. Arab. Bar. l. 4.* obſervavit, æquipollet Eu-
 phrati. Fluvium Soræ Occidentalem eſſe alveum, quem indagamus, non
 ſpernenda ſvadet conjectura, quia ejus nominis rudera in Babylonia & Baſ-
 ſora ſuperſunt. Nam vocabulum סורא Sovad (quod magnam ſoni co-
 gnationem habet cum סורא Sorà) *accuratiſſimis teſtibus Lexicographis*
Arabicis, ponitur pro pagis & territoris Cuphæ & Baſſoræ: imò pro pa-
gis & villis per totam Babyloniā, atteſtatur Hotting. de Parad. p. 71.
 (niſi velis, ultima verba facere quàm maximè pro fluvio Sūr, ſ. Euphrate,
 qui nomen ſuum vel poſt diſiſionem etiam retinuit, vel non, idem tamen,
 qui fluvius Soræ & Piſon, hoc cum diſcrimine ut fluvius Sur Sorà latius ſe
 extendat.) Accolarum ſermone vocatur Naharſares, *fluvius deductus,*
 quod, explicante *Paneo in h. l.* ad irrigandos agros deductus erat totus.
Hotting. autem *l. c.* diſtingvit hunc à fluvio regio ſeu deducto, ut ab eo,
 quem quoq; excipit, magis Orientalem. Varia hæc alvei Occidentalis no-
 mina obſcuritatis & confuſionis populo implicat rem aded, ut nondum
 quiscertam ſignificationis rationem habere poſſit, quod deplorat *Bochart.*
l. i. c. 8.

§. XXXIX.

Gichonem verſus navigantibus non minus multæ eruditorum velitati-
 ones undarum retardantium ad inſtar, occurrunt. Aſt in anchoris hypo-
 theſis conſiſtentes, in diſſita & à Gichone aliena loca non rapiemur; ſed
 ab æſtûs fervore, dubiorum procellis quietſcentibus, optatiſſime abemur Gi-
 chonis oris. Agedum ergo infrenemus ab alterâ parte errans navigium
 ancora.

HYPOTH. I.

Chus nomen loci, prout multis inditur regionibus; ita quoq; ſignificat
eum Perſiæ diſtrictum, qui Chuiſtan hodiè nominatur, & eſt hujus loci.

Eſt certè vocabulum ἐχθὼν ποταμὸς λεγόμενον, dividiturque in Me-
 ridionalem, Occidentalem & Orientalem; non aliter quàm Æthiopia, cum
 qua Chus in ſacris ſemper permutatur. Meridionalis Æthiopia generatim
 eſt tota media Africa pars, dicta à Græco ἄθω cremo & ὄψις facies, ubi ſub
 æquatore ſolis ardore torrentur incolæ (*Plin.* verò deducit Æthiopiam ab
 Æthi-

Æthiophe Vulcani filio *lib. 6. c. 36. vid. Calep. de hac voce*, ultra Nili fontem & lunæ montes inferior: interior sive superior, Æthiopia speciatim sic dicta, aliàs Abyssinia, Abassia, Habessinia intra Nubiam, quæ in Abyssinia Nilus circa lunæ montes oritur. *Joh. Hübners Kurze Fragen aus der neuen und alten Geographie c. 17. von Afr. p. 396. conf. Cluver. l. 6. c. 9. & 10. vid. Plin. l. V. c. 8. de Æthiopiis.* Quæ Regio longè lateq; fusa, dispartitur in Orientalem & Occidentalem, Occidentalem sinum Arabicum seu mare rubrum inter & Nilum collocat *Huet. de Parad. c. 13.*; Orientalem verò ait l. c. constituere magnæ Peninsulæ Arabiæ partem, ita ut completatur Æthiopia, (à meridionali distincta,) regiones à duobus sinu Arabici lateribus. Eadem de causa *Homerus Odysa. Herodotus Poly. c. 69. 70.* dividerunt Æthiopes hanc regionem incolentes vicinosq; Ægypti in Orientales atque Occidentales. Aliò modo Chus sive Æthiopia dividitur in Occidentalem & Orientalem, ad illam spectat Arabia triplex. Chusii enim appellatione tres Arabiæ, Æthiopia utraque & totus meridianus tractus continentur. *Junius Piscator in h. l.*; (sed *Huet. l. c.* non concedit, Chus Arabiæ extendi ad latum Orientalem Arabiæ & ad ostium Euphratis Occidentalem.) Quamvis Chus Chami filius in Africam descenderit; tamen Æthiopia Ludæis, à quibus Moschi oriundi, relicta, in Arabiam reversus est, cui Arabes originem debent, uti prolixè & doctè probat *Bochartus in Phal. l. 4. c. 2. Ex Habac. 3. v. 7. Job. 28. 19. Ezech. 29. 10. c. 30. 8. & 9. & c. vid. Polus in Num. 12, l. Is Chusæos nullos Æthiopes esse contendit, cum, non obstantè Jerem. 13. v. 23. c. teste Ludov. Vartomanno navigat. l. 1. c. 8. Coll. Cantic. l. 5. Job. 30, 28.* etiam Arabes Nigricantes & subfusi sint coloris Polus, l. c. Sephoram Mosis sororem Chusitin seu Madianitidem (Madianitæ populi in Arabia) vocari Æthiopsiam patet ex *Num. 12. 1. collat. Exod. 2. 18. Gen. 25. 2.* Palæstini, Tyrii, & Chusitæ *ψ. 47. 4.* tanquam populi vicini conjunguntur, *Perer. in Gen. c. 2.* Huc spectat Phœnicia, quæ notante *Srab. l. 1.* nonnullis dicta fuit Æthiopia. Inde fit, ut apud *Homer. Odys. δ 81. de Menelao* Æthiopes cum Sidoniis & Erembis, qui juxta Polum in *Gen. 2. v. 13.* sunt Aramæi seu Syri, junguntur. Ad Orientalem Chusiam seu Æthiopsiam referuntur loca supra Tigrim. *Fluvium enim Tigrim de super Æthiopsiam currere, Æthicus citante Polo l. c.* narrat. Chusitæ hi Orientales Medis fuere contigui, quin intermixti. Nam *Es. XI. 11. 12.* & Elam regio vel Medorum, Scyrdianorum & Bactrianorum, *Forer. Calvin. in h. l. vel Elymæorum, qui Medis contigui, vid. citati à Polo, conf. in Gen. 10. 10, & 11. 12.* *Masius existimat, Chut eos esse Colossæos mon-*

iana media incolentes, de quibus Polyb. 5. 389. Diodor. 17. 621. Plin. 6. 27. (quos Ptolem. 6. 3. in Susianam collocat) Polus comm. in 2. Reg. 17. 24. Provinciam Elymæorum (Medis contiguorum) in Æthiopiâ habet Epiphanus in anchor. num. 58. In Carmania deserta (vulgo Nassinga in Asia Indis contermina) sunt etiam Cuthi (Zuthi) Ptolem. 6. 6. Æthiopes Orientales itidem cum Indis jungit Herod. Polyhym sive lib. 7. (non tamen videntur Æthiopes isti, quorum meminit Augustinus de mirabilibus S. S. ex parte Indiæ adhærentes; qui Africani vid. Polus in Gen. 2. 13.) & Chald. parap. illud Zephan. 3. 11. vertit ultra flumina Indiæ Cusch. Quid mirum! potior terre habitata pars Æthiopiæ nomine insigniebatur, ait Strabo, Polus l. c. Non minus Occidentalis Persiæ pars propè Sinum Persicum dicitur Chus seu Æthiopia, estque ipsa Susiana, hodiè Chusistan, Chuzestan, ab Arabibus dicta Churestan. Alibi vocatur Cutha 4. Reg. 17. 24. Mutatâ postrema litera S. vocis Chus in duriolem vel minus sibilantem T vel Th Chaldæorum (sic Thor pro Sor, Atyria pro Assyria) & prima leviter Dagefchata seu abjecta litera H fit Cutha. Ab incolis simpliciter Chus nominari docet Huert. l. c. Susianæ nomen huic terræ tractui dedit Susa urbs Persarum regia juxta Strabonem à Tithono Memnonis Patre condita (cum Susis urbe Susianæ) hujus non confundi debent Susa regio in Africa, quæ ab Occidente terminatur mari Mediterraneo; A meridie deserto arenoso à Septentrione, Atlante & extremo Heæ oppido & ab Oriente fluvio Susa à quo nomen accepit, Joan. Leon. descrip. Afric. l. 5. c. 68. & Susa urbs Transpadanæ Lombardiæ, Plinio Segusium vid. Cluv. l. 1. Ital. antiq. 2. 12.) Ab Hebræo שושן lilia ob magnam liliorum ibidem crescentium copiam,

§. XL.

Quod verò Chus sit Susiana vel Chusistan non solum ab Etymologiâ, sed aliis etiam argumentis probamus. Memnon, cujus Pater Susa condidit, è Susis veniens ad bellum Trojanum Æthiops (ubi in bibliis Chusæus, ibi vertitur Æthiops) dicitur, Pindar. Olymp. od. 2. Hesiod. in Theogon. Rex Æthiopum & Pausanie Phoc. sive lib. 10. Matrem hujus Memnonis Strabo l. 15. vocat Κισσίω; Κισσίωι δὲ λέγονται οἱ Σούσιοι Strab. l. 11. Cissii. à Plin. 6. 27. Cossæi dicti. Cissia enim parva in Susiana regio, unde Cissianorum nomen, omnibus adhæsit Susianis: Æschyl. Pers. & Chaph. Strab. l. 5. Cossæos vel Cissianos juxta Plin. l. 6. c. 26. Uxientium vicinos, Susianæ incolas facit Ptolem. l. 6. c. 3. tab. 5. Asiæ, vid. Arrian. exped. Alexand.

xand. l. 7.; (Plin. vero lib. 6. 27. distingvit à Sufianis Cossæos, & hos illis ad Orientem versùs jungi inquit.) Sed & Chutai dicti sunt S. & T literis facile permutatis inquit Pol, in Gen. 2. p. 23. Ex eo facile collectu est, unde factum sit, ut Perla à Miltiade vieti habitu Æthiopum picti fuerint. Pausan. Attic. S. lib. 1. Polus in 2. Reg. 17. 24. Sufianæ situationem describit Calep. onom. nom. prop, p. 269 quod sit *Assæ regio Persicæ ditionis, quæ à Septentrione terminatur Assyria; ab occasu Babylonie adjacet: ab Oriente habet Persidem* (Persidem si sita fuerit ubi hodie Fars in Persia, à meridie habuit; ab Oriente vero Erak, nisi pro Perside intellexeris Pars; hanc enim regionem Chufistan ab Oriente aspicit) à meridie partem Persici Sinus. Latiorum ejus descriptionem nobis suppeditat Ptolem. lib. 6. 3. De hac Sufiana, כוש in textu, loquitur Moses.

§. XLI.

Ab alterâ parte jaciâmus anchoram.

HYPOTH. II.

כח in textu non denotat omne numeri, sed totum & universum quantitatis, alterutrius sive longitudinis sive latitudinis.

Nihil negotii nobis facessente voce סכב, utpote quæ hoc loco accipitur in eodem significato, quem hypothesis Anteced. quæ intimavimus; vim vocis כח in dagamus. Ut totus est continuorum, ita omnis est proprium quantum discretorum: Usurpatur vel distributive vel collective, utrumque vero duobus modis. Primum (1.) pro omnibus speciebus & ordinibus v. g. Luc. c. 1. v. 42. *decimatis omne olus* i. e. omne genus oleris, omnes ejus species Act. 10. 12. *in quo erant omnia quadrupedia terræ, h. e. animalia omnis generis.* Huc referri potest Synecdoche generis, quando omnis capitur pro multis & plerisque Exod. 32. 3. *omnis populus significat ex collatione versiculi 26. plerosque ex populo &c.* Item qualibet limitatio universalitatis. Sic vocat Salvator latrones & fures, qui ante ipsum fuerunt omnes cum limitatione; qui se ostium professi sunt Job. 10. 8. (2) pro singulis rei individuis; omnis homo est animal &c. Alterum (Imò) denotat simul in summa, ut omnia elementa h. e. elementa simul & in summa sumpta sunt quatuor. (2dò) totum integrale: omnis Gallia dividitur in tres partes. Neutri horum satisfacit כח in textu, Ordine retrogrado ut procedamus: non recipiatur cum eo totum in integrale, ut sensus sit, fluvium irrigasse omnes regionis hujus partes. Ubi verò fluvius naturalis? Qui regionem secat tot vicibus, quot locis ratione

tione situationis, gubernationis, aut alius cujusdam circumstantiæ, gaudet divisionibus. Requisitum hoc, quotquot fluviorum pro Paradisiaciis habentur, inest nulli. Prima omnis collectivè sumpti significatio spontè expirat, neq; distributivè pro singulis sub nomine Cusch comprehensis individuus capitur כּל. Eò modò potior terræ habitabilis pars hoc fluvio fecundari dicenda esset, ut centum fluvii vix unum constituerent Gichonem. Tò omne cum restrictione ex parte admitti potest: sine absurdo porro haud dici posse, multa ejus nominis loca intelligi credas; in distinctis terræ tractibus cum quarantur, aliis non exceptis, *hypoth. gen ioma.* vim pateretur. Prima primæ significationis כּל subdivisio commodè huc trahi non potest. Nihilominus tamen sæpè permutantur *id omne & totum* vid. *Calep. de hac voce.* Etiam vox Hebræa כּל, quæ à כּל *perfectit, absolvit,* deducitur, utrumque significat. *Omnem, i. e. totam domum obduxit auro,* legimus *i. Reg. 6, 12.* Et *Matth. 27, 45. Tenebræ factæ sunt ἐπὶ πᾶσιν* (ἐπὶ totam) *ימי קדשׁ* vid. *Sal. Glass. Philol. Sacr. l. V. tr. de Synecd. p. 1898. & 1919.* Hæc vocis acceptio est hujus loci; hoc vult dicere Moses: Gechon terram Chus, (quam Persicam ad Sinum Persicum fuisse probavimus) alluit, ut terminos כּוּשׁ intra suum cursum includat. Alium verborum sensum textus haud perfert. Incertum autem est, an intra Gichonis limites terra כּוּשׁ sita fuerit, respectu fluvii vel ratione longitudinis vel latitudinis; cum nondum satis exploratum sit, num כּוּשׁ habito respectu ad Gichonem, septentrionem, num meridiem versus in longitudinem vergat? Pro certo tamen habetur, partem Cusch occidentalem à Septentrione ad meridiem, à Gichone humectari, ad mentem manumque Moses. Quod verò כּוּשׁ quibusdam non concretum, sed abstractum, omneitatem, ut ita loqui liceat, & Syntaxin substantivi cum substantivo inferens, videatur, notante *Glassio l. c. l. 3. tr. 1. de nom. p. 552.* nihil ad nos. Ita quoque de particula כּוּשׁ Chvilæ præfixa sentiendum est.

§. XLII.

Ventò plenò & secundò ad Gichonem, anchoris retractis trajiciamus, ne verò nomen fluvii, quem transire cupimus, nos fugiat, observetur Gichonis Etymon. Radix nonnullis est כּוּשׁ lucebat, splendebat, unde כּוּשׁ *Lucifer, stella matutina* כּוּשׁ lumen diei & כּוּשׁ *fulgur, splendor*, Syriacum כּוּשׁ significat *auroram, mane*; Alii est כּוּשׁ quod cursus sui vi & rapiditate omnia magno impetu impellat; Alii verò

verò מים educere, producere (sc. aqvas) erumpere, prodire. Reliquam deductionem non approbat *Huet. l. c. c. 12.* Multa equidem flumina hoc nomen gerunt; interim speciem Gichonis, quæ mentiuntur, nos non fallent, hypothesium pyxidem nauticam respicientes. Proinde statim advertimus, Nilum post terga esse relinquendum, nobis magis septentrionalem & orientalem regionem petentibus. Appellant Nili ripis *Epiphanius in Ancoratō & epist. ad Job. Hieros. Ambros. de Parad. c. 3. Paulus Scherlogus l. 2. antiq. Ebr. dissert. 3 sect. 4. Isidorus l. 13. Etym. c. 21. & alii ab Aug. Pfeiff. in dub. suis vexat. p. 17. allegati.* Testatur quidem *Alvares hist. Æthiop. c. 1. 22.* Abyssinos hodie Nilum vocare *Gwison*; Id vero ex pervertustō errore fieri, ut Nilus Gejon vel Gewon nominetur, nobiscum agnoscit *Nob. Dn. Jo Ludolph hist. Æthiop. l. 1. c. 8. n. 28.* Sed licet non ex communi errore factum sit, Etymologia & aliis rapidis & erumpentibus competit fluviis. Certè profectō locus *Jerem. 2. 18. quid tibi vis in via Egypti, ut bibas aquam Nili?* quem *LXX.* verterunt *ὁ ποταμὸς γηῶν*, nihil minus probat, quam Gichonem esse Nilum: In Hebræo est *נַיִן* occurrit etiam *Esaï 23.* non vero *גִּיחֹן* significatque nigrum, quod aquas vehit multo limō turbidas, ut rectè à Græcis vocetur *μείλας niger.* *LXX.* ergō vel hallucinati sunt, vel eorum corrupta est translatio. Prope modum amniculus ille Hierosolymæ vicinus *Job. 9. v. 7.* quem piscina Hierosolymitana emittebat *גִּיחֹן* Hebræicè *גִּיחֹן* quasi idiotismo Hierosolymitano; quoniam hortos aditos irrigabat, appellatus est à *גִּיחֹן* *גִּיחֹן* missus, elapsus, derivatus est, & *Paraphrases Jonathan Gehon 1. Reg. 1. 33.* transtulit per vocem *Sikab*; In Evangelio amniculus hic effertur *αἰετῶσα μὲν*. Brevitatis causâ, ad hypotheses supra allegatas lectore remisso, absurdum hâc stante sententiâ subolfacimus: In Africa esse Persiam, in qua *כּוּשׁ* Paradisi collocatam esse juxta *hypothesein specialem imam* manifestum est; ubi enim Chus ibi juxta *hypoth. spec. adam.* non statim & Gichon. Non planè de nihilo sunt, quæ *Pever. com. in Gen. 2. 13.* in contrarium assert: *Si Moses per Gebon significasset Nilum, volens eum declarare & notum facere Hebræis, non dixisset, qui circumit omnem terram Æthiopiæ, sed dixisset, qui peragrat & irrigat Egyptum: Nilus enim non, ex Æthiopiâ, sed ex Egypto notissimus erat Judæis: quippe qui plus ducentos annos in Egypto versati essent & c.* Postea hi boni Veteres, dicentes, propterea Molen non declarasse, per quas terras

K



terras vehatur Euphrates, quod Hebræis esset notissimus, proprio gladio jugulantur, à *Perer. l. c.* Atqui tempore *Mosis* multò notior erat *Judeis Nilus*, quam *Euphrates*: Ob eandem igitur causam nominando *Nilum*, non debuisset indicare, quas terras ille præterfluat. *Gichon*, cujus mentio fit, *Reg. l. 33.* non est is, quem commemorat *Moses*; ille enim, colatis 2. *Paral. 32. 30. & c. 33. 14.* est rivulus, cujus fons non procul *Hierosolymis* fuit; hic vero in *Ψ* *Persicà* juxta *hypoth. spec. imam* prolabitur. *Eugubino* optimè objicit *Perer. l. c.* Si *Gehon* flumen *Paradisi* aliquatenus attigisset terram *Chanaan*, *Moses* ipsum declarans, non dixisset: Qui circumit omnem terram *Æthiopiæ*: sed dixisset, Qui alluit terram *Chanaan*: hoc enim notius futurum erat *Hebræis*. Sanctus habetur ab *Ægyptiis*, *Philosophis* multis & *Judæis*; à *Jove* enim delapsus putatur *Nilus*. *Homer. Odys. d. & Eusath. in Hom. Odys. d. Plaut. Tim. act. 4. se. 2. Strab. l. 1. conf. Huet. tr. de Parad. c. 12.* *Credula* & *superstitiosa* *Judaica* gens facile in assensum moveri potuit, ut sanctum etiam alià de causa crediderit.

§. XLIII.

Gangem, qui aliquibus est *Gichon*, dextram versus longissimè liquimus; Chus juxta *hypoth. spec. imam* quæritur in *Persia*: plures rationes lege suprâ, ubi egimus de *Gange*, non *Pischone*. Eandem ob causam rejicimus *Oxum*, quem *Arabes* *Gichonis* titulo dignantur, idque ideo, quia, quæ in *Nilo* contingere, communia fecerunt *Oxo*. *Araxes* fluvius *Armenia*, qui eodem in monte, in quo *Euphrates* nascitur, ortum habet, describiturq; ex *Pomp. l. 3. à Calep. onom. nom. prop. p. 37. vid. Plin. l. 6. c. 9. ob hypoth. spec. imam.* *Gichon* dicendus non est, conf. *Huet. l. c.* Quare *Cydnus* *Just. l. 11. Dioc. in Strab. l. 1. Tigridis* ille alveus, qui *Plinii* testimonio *l. 6. c. 9. & 15.* à *Septentrione* *Adiabenenem*, sive *Assyriam* terminat, *Chaspem* & *Euleam* fluvios ex *Media* & ex *Susiana* alium *Tigridis* alveum, teste *Strabone* apud *Polum l. c.* in se recipiens, quive *Scaligero* notante expressè à *Geographo* *Nubiensè* *Gihon* vocatur, *Carver. de Parad. c. 9. & 10.* (distinctus tamen à *Cydo* in *Cilicia*) *Gichonis* honore sit privandus? Quare *Gyndes*, fluvius secundum *Euphratem* maximus *Assyriorum*, in *Mantiens* nascens montibus & per *Dardanos* in *Tigrim* influens; *Calep. l. c.* *Indus*, non in *India*, sed in *Assyria* fluvius (quemadmodum *Theophil.* *Assyrius* *Indus* vocatur; & *Adiabenenem*

nem Indicam regionem vocat *Nicephor. hist. Eccles. 9. 18. apud Polum in Gen. 2. 13.*; Naharlarés, alveus Euphratis maximè Occidentalis & in Chaldaica palude disperiens *Jun. apud Pol. l. c.*; & Naharmalca Gichonis vices subire non possint, in promptu est. Rivum Occidentalem, qui nobis Pison erat, Gichonis nomine haud dedignantur *Doctores Lovanenses, Scaliger, Calvinus, apud Huet. l. c. & alii*; ex eo fundamento, quoniam Chus in Arabia & Æthiopia solum dari autumant; quod cum sit contra *hypoth. spec. imam*, hunc præterlabimur, tendentes ad alveum seu rivum post fluvii divisionem, orientalem, qui Mosi dicitur גִּיחֹן

§. XLIV.

Nobiscum faciunt, suppressis aliorum nominibus, *Huet. l. c. c. 12. & Morinus dissert. de Parad. quam Bochart. Geograph. part. 1. præmisit.* Nonne est ipse fluvius, qui terram Chus in Persia juxta *hypoth. spec. imam* alluit? hoc ad Gichonem probandum juxta *hypoth. spec. zdam.* sufficit. In Edene Babylonie juxta *hypoth. gener. 5. iam.* è conjunctis Euphratis & Tigridis aquis juxta *hypoth. gener. 9. & 10.* emittitur. Denominatio גִּיחֹן apprimè confirmat: sive derivetur à גָּרַח erumpere, prodire, sive à נָחַר lucere, sive à נָחַר magno impellere impetu. Ex præcedentibus luculenter patescit, hunc Orientalem alveum erumpere & prodire, sc. ex magno mixtarum Euphratis atque Tigridis aquarum fluvio, & rectè significat *ἐκβολὴν* divertigium fluminis & emissarium. (Ita Gehonem explicat *Joseph. antiq. l. 1. c. 2. Ἰὼν ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς ἀναδιδόμενον*, qui productus est, qui defluit ex Oriente.) Aqua hujus alvei exundationibus Sinus Persici lutulenta non obstat, quo minus lucere possit. Nam dum rapidissimo cursu provehitur, & quandoque valde intumescit, per refractionem radiorum Solis, quos siliens recipit, lumen spargit, splendetque. Contradictionem *Poli l. c.* qui fluente Orientali porrectius esse, ait, illud, quod occidentem spectat, & *Huet. l. c.* Orientalis ripas non tam humiles esse, quam Occidentalis alvei, cum sententiæ nostræ nihil derogetur (ipso Huetio non negante, Orientalem hunc alveum incrementis & exundationibus esse obnoxium) jure præterimus. Nomina multa habet communia cum alveo Orientali: dicitur itidem *παραμὸς βασιλειῶν*, Pasiigris vel potius Phisotigris, ubi cum Tigri jungitur, *Hotting. Em. disp. 3. de Parad. p. 69.* hunc Orientalem putat esse Arab. חַרְמַל & Chald.

Chald. נהר מלכא, pro quo Eusebius *perperam* ex *Abydeno ἀβυδηνῶν* ponit; Βασίλειον διὰ τὴν πόλιν regiam nominari scribit Polyb. l. 5: Eundem, inquit Hottinger. l. c. Chobardici volunt in Ezechiele, à Chobaris præfecti nomine; Obstat Plin. l. 6. c. 26. ne *Babylonia*, quid hæc ad Sufianam? *infestaretur*. Appellatur quoque (sicuti Occidentalis alveus) Schat-el-Arab fluvius Arabum Huet. l. c. c. 7. ex Thevenot. *relat. itin.* Nomen Gichon participant ambo conf. *Polus l. c.* (Cæteri Euphratis alvei, quibus de *Bochart. l. 1. c. 8.* videntur fuisse Pl. 137. נהרות ככל, à quorum ripis, Salicibus confitis, *Babylonia* nominata est הערבים נהר, vallis salicum Es. 15. 7.) Quæ verò obijciunt, tanti non sunt, ut Gichon propterea fluviorum Parad. numero eximi debeat. Regius vocatur, non quatenus naturalis non est, sed quia vel cum Pifone confunditur, vel humanâ opera est dilatatus & variatus; Titulus Paradisi cum tamen manet, etiamsi juxta *hypoth. gen. 6tam* est ramus fluvii, qui non in Edene oritur, nec ipse ingreditur hortum, juxta *hypoth. gener. 7mam* neque in horto è principali fluvio exit; juxta *hypoth. gener. 8vam*, non opus est, ut habeat fontem. Ergo Orientalis Euphratis alveus est Gichon.

§. XLV.

Jam in portu navigamus: Eruditorum ferè omnes Tigrim & Euphratem interpretantur, cum clariore & notiore minori laborarent difficultate. Aliores profectò pro Tigri radices hæcce ager opinio, simulac terra Assur, ad quam Tigris tendit, fuerit cognita, cui lucem fœnerat.

HYPOTH. I.

קִרְמַת non commodè hoc loco vertitur ad Orientem; sed coram, versus &c.

Negari non potest קרמת cujus primitivum est קרם radicis inusitatae, eternitas plagam Orientalem. קרם antiquitas, si de DEO dicatur, eternitas; antiquè, olim, &c. quibus additur Oriens. In ea significatione adhibetur *Gen. 25. 6.* קרמה Orientem versus, item *Exod. 27. 13.* & aliis locis passim: inde קריים Oriens, ventus Orientalis (Eurus) & קרמנה Orientalis *Ezech. 47. 8.* à קרמה fit status regiminis קרמת Præter hæc exprimit latinorum coram, versus, ante &c. à qua significatione 70 Oriens significare cœperit. Nota Judæorum fabula: Ada-

71

Adamum ut Solem mundi Orientem aspiceret, faciem disposuisse, unde anterior seu ea mundi pars, quæ ante ipsum fuit, קדם Oriens dicta. Vox in Piel demum usitata קדם hoc satis astruit, significationibus antevertit, antevit, &c. *Jon. 4. 2.* קדמתי *anteverti & Amos. 9. 10.* רקדים *obveniet.* Quo accedit Chald. קדם coram, à conspectu *Daniel. 5. 19. Bux.* *Lexic. Heb. & Chald. p. 664. & seqq.* Posterior hic prævalet. Malè verò reddit Junius קדמת אשור ad Orientem Assyriæ versus; cum alterutrum seorsim significet, neque præpositio adfit, neque מ locale, neque ambigua hæc nota exactæ Mosis descriptioni quicquam consonet. Perperam etiam verterunt ad Orientem Assyriæ *Jarchi seu Rabbi Salomon, Aben Ezra &c.* neutiquam Tigris ad Assyriæ partem Orientalem usque quod infra patebit, pertingit. Precaria sunt, quæ habet Interpres Arabicus; Tigrim Orientem versus cadere dici respectu Mausali, audaciter Nivive, cujus vices Mausalum sustinere plerique sibi persuadent, pro Assyria intelligitur, neque eo concessio, rem conficit: quod Mausalum vetus Ninive non sit, sed urbs Mesopotamiæ ad ripam Tigridis ex adverso loci istius, ubi Ninive fuit, firmiter statuit *Huet. tr. de Parad. c. 15. p. 58.* Rectius autem Grotius: in conspectu Assyriæ: consonant versiones *Malvendæ & Arie Montani*: ante Assur.

§. XLVI.

Quid verò Assur?

HYPOTH. II.

Assur, seu Assyria fuit Provincia Asiæ majoris circa Mausalum.
 Dicta est Assyria ab Assur filio Sem *August. l. 15. de C. D.* à Græcis Syria vocatur, *Justin. l. 1. Herod. l. 7.* cujus fines multò latiores fuere, quam Assyriæ, quæ non confundenda est cum Syria speciatim & propriè sic dicta ad mare Mediterraneum in Judæa, quæ formata est à nomine Hebr. Tyr, fuitque urbs Syria capitalis, *Huet. l. c.* Hisce præcognitis, dubius & obscurus *Plinii locus l. 5. c. 11.* Assyriam, quæ postea vocata est Adiabene, Syria partem esse, intelligi potest. Æquivoce sumitur: in latiori significatione, magnas regi Assyriæ subjectas provincias, Mesopotamiam, Babyloniam, partem Arabiæ, addunt alii & Syriam, maximam itaque circumjacentium regionum partem complectitur, ut eo sensu Tigris ad Orientem Assyriæ tendere dici possit; sed hæc ratione signum signato obscurius esset. Strictè verò capitur pro provincia Adiabene postea dicta, in

K 3

qua

qua metropolis fuit Ninive: & sacra & profana historia Assyriam accipit pro regione circa Niniven, vid. *Carver. de Parad. c. 4.* conf. *Plin. l. 5. c. 22.* *Strab. l. 16.*; hanc *Calep. onom. nom. prop. p. 46.* ex *Ptolem.* descripsit, quod sit regio *Asie majoris*, ab ortu *mediae parte terminata*, ab occasu *Mesopotamia*, à septentrione parte *minoris Armeniae juxta Niphatem montem*, à meridie *Susiana*. Assyriæ urbes *Cresspbon Parthorum* regia; & *Arbela*, ad quam *Alexander M. Darium* vicit, vid. *Cluv. l. 5. c. 14.* *Corverus* verò *Lex. part. 2. de hac voce Assyriam*, nunc *Cusitan* vocari asserens decipitur. *Cusistan* infra sita est, quam non *Tigris*, sed *alveus ejus Orientalis* præterit. Hujus, in strictiori significato sumptæ *Assyriæ* meminit *Moses*: *Assyriam* versus *Tigrim* ire docet, hoc verò, si *Assyria* latè sumeretur, (ut nihil dicam de nomine *Syriae* tempore *Mosis* incognito) neque omnes quatuor simul præstabunt.

§. XLVII.

Planâ viâ & sine spicis sese nobis offert תרקה, quem *Tigridem* omnes exponunt; deducitur à תר acutus & קל levis, quasi à תרים וקרים subtilibus & levibus; radices sunt תרה acutus fuit & קל velox & levis fuit: cum additamento *Syriaco*, prima gutturali ת extritâ fit תקהתא & נ quiescente est תקהת pro quo *Arabes* & *Persæ* *Diglat*; *Orientalis* hodie *Degilet*, *Degela*; *Kenim* vel ejus vicem sustinens *C* facile mutatur in *G*, ut ex תקהת *Agbarus* & ק in ג, inde *Plinius l. 5. c. 27.* *Tigrim*, ubi tardior fluit, *Diglito* vocari observat. תקה à *Chaldaico* תקה venire vult *Moses Bar-Cepha de Parad. c. 18.* *Anxiè* & *laboriosè* à *Chiddekel* *Tigrim* derivat *Huet l. c. c. 14. p. 55.* In תקה, inquit, magna aspiratio ת concidit, sic *Chaboras* fluvius in *Mesopotamia*, *Ptolem. l. 5. c. 18.* à *Strabone lib. 18.* *Aborras* nominatur, manetque תקה; porrò ת mutatur in ת uti ex תקה ירה *Jota*, ex *Syriaco* *Ardeb*, *Araba*, unde תקה; Dein ק & ejus vicarius *C*abit in *G*, non aliter uti ex *Curculio*, *Gurgulio*, superest תקה. Tandem mutatâ literâ ל in ר oritur (ex *Syr.* *Diglat* assumptò) תקה Tiger, à quò *Tigris*. Rationem hujus formationis pete ex vocibus *Hebraica* *Belial*, quam *Græci* pronunciant *Βελιάδ* & *Chald.* *Sarbal* pro quâ *Sarabara*. *August. Pfeiff. verò l. c.* fundamentum *Tigris* hodie *Tegil* ponit *Tir* *Persis* *Sagitta*, *Armenis* *ensis*; & *Dzir* *Cusis*, quatenus *Euphrati* jungitur. Non flocci facienda derivatio *Tigris* à *Chaldaico* *Themate* תקה emittere, jaculari, hinc תקה sagitta, præfixa litera *Hec-*
mantica

mantica T & suffixa terminatione Græca, fit Tigris; hanc nobis suppeditat *Matthias Martinus Lex. Phil. de hac voce.* Ergò Mosis *קִרְקִי* Syriacum Diklat & Arab. Persl. &c. Diglat, est Græcorum *Τίγρις*. Primò in genere significat feram bestiam, secundò in specie certam feram, quam sic dici volunt, quod adequet velocitatem sagittæ, quæ *Medis Tigris Martin. l. c.* *Plin.* animalis hujus miram in cursu pernicitatem describit *l. 8. c. 18.* Idem nomen quandam ob similitudinem in unò tertio, gessit fluvius Assyriæ, conf. *Jfidorus Hispalensis l. 13. Etym. c. 21. Rupertus l. 2. de operibus Trinitat. c. 29.* A sagittæ celeritate Tigrim dici tradunt *Plin. l. 6. c. 27. Q. Curt. l. 4. & Strabo lib. XI.*

§. XLVIII.

Hoc nomine non præsentatur à Mose Naharmalca unus ex rivis Euphratis, per quos cum Tigri se conjungit, manufactus, qui supra Seleuciam in Tigrim influit, contra *Junium*: ille enim non vergit ad Assyriam, sed infra eam cura hominum Euphratem combinat cum Tigri, quod repugnat *hypoth. spec. 2de*; Enim vero *קִרְקִי* hoc loco est superior Tigris alveus: Tigris enim circa Babyloniam cum Euphrate olim conjunctus exhibebatur, qui post conjunctionem ad Susianam vergens Gichon, supra conjunctionem vero ad Assyriam Tigris *κατ' ἐξοχην* dicebatur, qui à nobis est investigatus. Non aliter edocti sumus à *Plinio lib. 6. c. 26. oritur*, inquit, (sc. Tigris) *in regione Armenia majoris fonte conspicuo &c. citra Seleuciam* (hodie Bagdadum *Joh. Hubn. Geog. p. 844.*) *Babyloniam centum viginti quinque millia passuum divisus in alveos duos, alterò meridiem, ac Seleuciam petit, Mesenen perfundens, altero ad septentrionem flexus* (non respectu fontis sed conjunctionis) *ejusdem gentis tergo campos Cauchas secat &c.* Sine dubio est magnus ille fluvius apud *Dan. 10.* verba *Corveri de Parad. c. 12.* quibus indicat, Tigrim esse eundem fluvium, quem per Susianam fluere profani perhibent auctores; (eà ductus est ratione, quod *Daniel. qui cap. 10.* cum magnum fluvium nominavit, præfes Susianæ fuit, & in metropoli Sulan sedem habuit, *c. 8. v. 2.*) castigationem poseunt: vel enim Tigris absolutè sumitur prout ambos ante & post conjunctionem alveos complectitur, sicque Gichoni non contradistinguitur, sed quoad sui meridionalem alveum cum eo coincidit, & idem est ac Gichon, hoc modo verum dixit; vel cum addito pro alterutro alveo; Si pro Septentrionali, (nobis Tigri primariò sic dicto), capiatur, per Susianam fluit

fluit quidem, quia non solum Chusestan, sed & reliqua Persiæ Pars hoc nomen obtinuit: interim tamen loco *Dan. 8.* non satisfit, quia Susa urbs non nisi ubi hodiè Chusistan; si pro meridionali, falsum est, cum hic Gichon Mosi sit. Hunc Tigris alveum Septentrionalem supra divisionem, esse ipsum Chiddekel probatu non est difficile; Competit ipsi vocis denominatio ob celerem & velocem sui cursum *Plin. l. c.* labitur ad faciem Assyriæ juxta *hypoth. spec. 2dam*: (non intuitu fontis hujus fluvii &c. sed intuitu Sedis Paradisi terrestris, & pro dispositione alvei Tigridis, inquit *Huet. l. c. c. 15.*) nec plus Moïses vocabulo קרמת significare voluit, conf. *hypoth. spec. ima.* Spontè se accommodant *hypotheses generales.*
§. XLIX.

Quartus Paradisi fluvius est הוּיַא *Joseph. antiq. l. 1. c. 2.* extrahit radicem פּוּר, quæ vox inter alia significat *disipare*; vel פּוּר *floruit*, germinavit, quoniam terras, quas alluit, germinare facit; explicans rem, per *σκέδασμον ἢ ζωθ.* Vera radix secundum *Huet. c. 16.* est פּוּר *audus est, crevit*, in Hiphil secundum reddidit. Tam perspicuus hic fluvius est, ut quoq; sine ulla distinctionis nota à Moïse proferatur; Attamen, quod mirum, *Junius in h. l.* præ ipso fluvio ejus alveum Medianum, qui Babylonem & Otim permeat, eligit incogitanter. Vis radice huic ceu rivulo non ex asse convenit; non est tanti honoris dignitatis & claritatis, cui præfigatur Emphaticum הוּיַא, quippe qui arte factus est, *Mela l. 11. & Propert. Eleg. 3. 10. apud Polum in h. l.* Semiramidi ejus originem adscribunt. Quis non videt פּוּר esse ipsum Euphratem; Euphratem ex פּוּר & הוּיַא compositum esse probat *B. Perer. comment. in Gen. 2. 14.* hoc modò: *apud Hebraeos פּוּר sonat, ut apud Græcos Φ ut pronunciandum sit Pherath, & quia vocalis E non est clarè esseferenda, sed mussitanda pronunciat Phrath, itaq; ex duabus dictionibus alterâ הוּיַא, quæ significat ipse est, altera verò פּוּר, composita est tanquam dictione una, Euphrates, cum Græcè dici deberet Prates.* Rejicit hoc *Huet. c. 16.* & ita hæc de re sentit: Græcos Prath (verbum hoc linguæ suæ genio accommodantes) in Euphratem mutasse, vel quasi à verbo *εὐφραίνω exhilarare* vid. *Ambr. de Parad. c. 3.* vel nomine *εὐφροσ* secundus, *fertilis*: Aut planè huc non respicientes de Phrath literas adjiciendo & immutando fecisse Euphrates, quemadmodum de *Tabor Atabyrius de Dercetò, Atergatis* H. J. Sunt & alibi amnes ejus nominis à fecunditate, monet *Grotius apud Polum l. c.*
Ast,

At, quem nos intelligimus, est magnus & primarius Euphratis alveus, occidentem versus (Tigris intuitu) supra conjunctionem. Sæpè in sacrè codice eo se sinit nomine, vocaturque magnus fluvius, non quia terminat terram sanctam, ut Judæi somniant, sed quod est unus ex maximis Judæorum genti notis *Perev. l. c.* Dum *Carv. l. c.* hæsitanter ait, quod sit fortè Naharfares, tunc non eum intelligit, quem nos supra; sed Naharfares est ipsi פרת. Egregiè Euphratem delineavère *Strabo l. 11 Diodor. Sicul. l. 2. c. 11. Q. Curt. l. 5.* quorum verba, quia proluxa brevitatis jam studiosi, omittimus: Præ reliquis omnibus vero *Plin. l. 5. c. 24. & 26.* confer. *Philosrat. l. 1. de vita Apolonii c. 14.* Fontem habet Euphrates in Armenia majori à latere Occidentali in parte Septentrionali montis Abor, qui Tauri ramus est (in tabula Dankert & aliorum fons Euphratis ut magis septentrionalis, ita quoque magis Orientalis, quam Tigris fons perspicuè ponitur.) Fontem suum Tigris in eadem habet regione ad latus meridionale montis Niphati, & Orientem versus vehitur; quemadmodum Euphrates Occidentem versus, ut ambo Mesopotamiam includant. Postmodum circa veterem Babyloniam pluribus uno saltem naturali se conjungunt alveis, unum ingentem fluvium meridiem versus efficientes: antequam Persicus sinus eos excipit, rursus se junguntur, ingentem insulam Messenam postea Chader dictam, formantes. Infra & supra conjunctionem, Euphrates nomen hodiè retinet; Nobis verò est ejus alveus Septentrionalis, maxima Euphratis pars ad sui cum Tigri conjunctionem usque. Non obscure inferitur ex præmissis pronomine נהר quasi dicat: Prath, quartus Paradisi fluvius est ipse, qui, postquam à Tigri, fluvio depressiori capitur, fluvius principalis est, in quatuor brachia divisus. Sive amœnitatem, sive ubertatem vi vocis respicias, utrumque manet Euphratem. vid. *Q. Curt. Straboll. cc.*

S. L.

In eo cardo rei vertitur, vinculo naturali & non factitio Euphratem, si velit Paradisi flumen esse, cum Tigri uniri, quod multi negant, non pauci cum Huetio affirmant, eum sc. alveum ex quinque, qui per Babyloniam fluebant, naturalem esse. De quo Euphratis altus situs & ad exundationem plenus aquarum tumor nos nullo modo dubitare sinit, ut facile terram præ alterà pressam terendo, alveum ad Tigrim sibi excavare potuerit, nisi coævum Euphrati facere velis. Num ideo, nullus alveus copulans est naturalis, quia veteres in scriptis suis reliquere: Euphratem proprio ostio in Sinum

L

num Persicum devolvi, qui hinc inde derivationibus 'averfus', ob aquam raram & debilem lapsum Babylonicâ in regione se perdidit? Minimè; Arabum potius fuit opus hic alveus Euphratem deducens, quia desit: Sola aquæ penuria in causa esse non potest, cum fluvius aquarum sit ditissimus. Ex antiquò *Abydeni fragmento*, ab *Euseb. præp. Evang. lib. 9. c. 41. citatò* refert *Huet. c. 6.* totam hanc regionem ab initio tantoperè aquis fuisse coopertam, ut mare eandem appellaverint. Hæc aquæ copia non nisi ex Euphratis, situm Tigri altiorem habentis exundationibus. Posito, quod obijciunt, eò ipsò non tollitur, Euphratem in duos secari alveos, quorum posterior Orientalis sc. cum Tigri unum constituit fluvium: aquam pro duobus fluviis insufficientem urgentibus reponere possumus cum *Huetio l. c. c. 6.* tam magnus fluvius pluribus fluminibus turgidus, singulis ætatis & , nivibus liquefactis, Tauri montis declivitatibus increfcens, quidni duobus tempore Mosis sufficere potuisset? cum multis aliis postmodum sufficeret.

§. LI.

Hos Paradisi fluvijs è longinquo prolixè quæsitos, in Synopsi præfentes exhibebimus; Euphrates & Tigris in Armenia majori scaturiunt non uno ex fonte, (nisi quia uterque ex Tauro monte) ille ad Occidentem, hic verò Orientem versus proveci, circa Bagdet, Mesopotamiâ inclusa, coeunt, à quo combinationis puncto divisi dicuntur; respectu habito ad fluvium, quem conjunctim formant, ipsum sc. Edenis fluvium, utpote qui nomen Euphratis solus tuctur, quia altior, inflexa via in Tigrim se præcipitat, eundem sibi associans; Rursus verò in duo brachia dispescuntur, quorum Occidentale est Pison, Orientale autem Gichon & proprijs Ostiis in finem Persicum se evolvunt. Nota, quod semel pro semper dictum sit, causam mutationis esse, industriam hominum, potentiam Regum Assyriæ, Persiæ, &c. diversis vicibus regionibus hæc imperantium temporis, quod omnium rerum edax est, longitudinem, maris seu Sinus Persici violentiam & fluviorum exundationes.

§. LII.

Laborem hunc nostrum non obsignabimus, nisi prius aliquot ventilerimus quæstiones, & quidem primò locò, an Adami tempore omnes quatuor extiterint fluvijs? Fluvium Principalem פרת פרת statim ab initio adfuisse, sacra perhibet pagina. Non entis, nullæ cum dentur affectiones manifestum est flumen hocce ad irrigationem horti dispositum, Paradiso
coata-

coetaneum recte credi. Sed reliquos ita, ut Moses commemorat, cohaesisse, pro certo & explorato non habent: siquidem verba Mosis: Et divisus est fluvius in quatuor capita, necessario inferant, Mosen suo tempore fluvios ita invenisse, non vero ab initio mundi fuisse, ut sensus sit: ille fluvius, qui Paradisum irrigando fertilem conservavit, in quatuor, quod nunc videmus, dispescitur alveos. Inde vero non sequitur ergo fuere ab initio mundi; praerimis, quia Paradisum non irrigarunt, sed notarunt. Porro in sacris, & quoque a Mose multa dicuntur per *πρόληψιν* historicam; multa secundum *πρωτότυπον*. Quae vero ipsorum facies fuerit, statim a creatione aequae, quin magis dubium est, & incertum: vel enim, quales fuisse suo tempore Moses refert, tales ab Adamo visi sunt, quod verius, vel Euphrates solus cum Tigri non conjunctus fuit (Tigris tamen, qui ut Euphrates perspicuo fonte scaturit, & magnus fluvius est, protoplastis jam notus fuit; praeter Euphratem enim & multi alii initium sumperunt fluvii,) ut potentia non vero actu omnes quatuor tunc temporis fuerint. Conjunctus vero Euphrates & rursus divisus, faciem, qua Mose apparuit, induit. Esto, concedimus non ut verum, sed ut opinioni nostrae non contrarium, quin potius proficuum, ne dubium suboriat: vix credibile esse, omnes & post diluvium universale ad Mosis usque vitam mansisse integros, cum secula sequentia eos ignobiles fecerint. In *hypoth. gen. 4ta.* quando fluvius ad Adami tempora extendimus, contra Burnetium disputamus, qui nullum antediluvianum admittebat fluvium. In rerea literam deserendam esse, neque textus *συνάφεια*, neque rei evidentia svadent.

§. LIII.

Sed secundo neque silentii spatio obtegamus, unde originem hi duxerint fluvii, cum statim a prima creatione extiterint, quod asleverat Moses. Burnetium omnes rejicere fluvios ante diluvianos infra audivimus; nihilominus rivulos longo temporis tractu aquam pluviam effecisse, non negat, sine ingente tamen terrae cavitate, quia terra undique plana. Ut vero cerebri sui commentis (ut loqui liceat cum Aug. Pfeiffero) utcunque colorem inducat; ideam fluviorum oriendorum sequentibus exhibet: vapores nimio solis ardore elevati sub aequatore magis magisque rarefacti ut expansi, montes ad comprimendos statim vapores cum non essent, majus spatium quaerent; Jam vero Occidentem & Orientem versus aditus nullus relictus. Ratio, quia sub eodem aequatore ubi-



que vapores dilatati se invicem premendo occurrentibus particulis resistebant, neque huc pelli poterant à ventis inæqualibus. Absuit enim omnis inæqualis secundum quatuor tempora, solis & ventorum actio. Hinc Polos versus agitati, vitrigoris verò condensati, perenni rore vel pluvîa decidebant &c. Omnes ergo è celo provenerant aquæ, atque ab iis cælestibus, fluvii omnes terrestres ortum duxere, leni & equali cursu semper fluentes. Tellur. Ibeor. Sacr. l. 2. c. 5. *Quamvis, adjicit, superficiem terra æqualis, fieri tamen non potuit, quin vias aliquas aliis depressores Gyran-do invenirent, &c. ibidem.* Quod eâ ratione terra fuerit humectata, probateorum testimoniis, qui nullam pluviam tempore antediluviano agnoverunt, quorum meminit l. c. l. 2, c. 8. Si quis hæc ad fluvios Paradisiacos applicare vellet, adverteret, totum orbem, formam fluvii, ob exiguum temporis spatium, quò gyrando ita terram excavare non potuit, quin per universam omni ex parte æqualem terram se diffuderit, præ se tulisse; quicquid etiam in medium protulerit de fluvii Paradisiaci l. c. l. 2, c. 5. § 29, p. 303. & seqq. quas aquas, (sc. fluviorum Parad.) à nullo monte aut fonte profuentes, sed *ἀπὸ οὐρανόθεν* proponit, id est, à cælestibus aquis originem ducentes. Et si per vocem Eden regionem aliquam terræ hodiernæ intellexeris, oportet, ut altissimi situs fuisset, ad projiciendos fluvios in terras longè distantiſſimas. Nec exitum illorum commemorat, cum nullum habuerint, abisso nondum ruptâ. Regiones, quas percurrisse dicuntur, dubie interpretationis sunt. Certè, ubicunq; fluviorum principium sumpseris, non suppetent exinde continui terræ tractus, sine ullo mari interposito aut sinu maris, per Regiones illas, quibus vulgo in textu reperta vocabula applicant &c. Enim verò unum absurdum plura sequuntur: ad sphaeram rectam, quâ gaviſum esse orbem tempore antediluviano, præsupponit, omnia accommodat *Φαινόμενα*, ea subversâ opinione evertitur & hæc de fluviorum origine. Homines antediluvianos caruisse pluvîa, cum omnia ad pluviam producendam (vacillante de reo mundi situ sententiâ impugnatâ) requisita habuerint, nondum conficitur. Si vel maximè pluvia nulla decidisset; numnè propterea aqua ad receptaculum sibi formandum à partibus polaribus est derivanda? nulla ac alia fluvii assignanda esset causa efficiens, præter quam Burnetius excogitavit? in Judæa tempore æstatis pluvia fuit rara aut planè nulla, ut pro miraculo habeatur quod pluviam impetraverit Samuel in medio

æta-

æstatis 1. *Sam.* 12. 17. aqua verò partim exhalatione consumptâ, partim terræ visceribus aut maris, in quod se exonerat, absorpta labris, materia aquosa, antequàm pluit, unde accrescit? aut Nilus unde suam habet ubertatem? ut terram transcendat, pluvia in Ægypto deficiente; suppeditantne aquam Poli. *ἀλόγως*; ergò aliunde fluvii oriri potuerunt licet terra pluviam fuisset destituta. Nos dicimus fluvios Paradisiacos & multos alios factos esse, cum, ruptâ terrâ, Deus à terra aquam separaret *Gen.* 19. eo enim die fecit Deus, terram assurgere in montes & subsidere in valles & ingentes alveos vid. *Bonfrer. & Corn. à Lapide in b. l.* non obstante, congregationem aquarum vocari mare: Hebræi enim quamlibet magnam aquarum congregationem mare vocant. vid. *Polus in b. l.* In Hebræo מַיִם maria nihil magis importat, quàm fundum, cui aquæ inniti possint, quod ex asse quoq; fluviiis competit, derivatur enim quasi à מַיִם fundum, & מַיִם aquæ. Hinc mare ratione Etymologiæ est fundum aquarum. *Quivis magnus annis vocatur mare, ut asserunt Gaiubari & Alcamus inquit Polus in Job. 41. 22.* Imò Abyssum de fontibus & rivis passim usurpari, ipse innuit l. c. adducens loca Scripturæ *Deut. 8. 7. Psal. 78. 15. Ezech. 31. 4. 15. confer. Bochart. de animalibus 3. Sacr. ibid.* Si verò major, statim à creatione subterraneas terræ scissuras & occultos Cuniculos non adfuisse, dicendum: aquam, mari (quia nullam emittebat) incumbente, intra fluviorum ripas mansisse eandem, cum aqua marina non cederet, neq; fluviatilis opus habebat aliud occupare spatium, aut accrescentem expetere aquæ materiam. Quantum aquæ in vaporibus consumptum est, tantum restituit pluvia; ast prior terræ Paradisiacæ dispositio veritati magis consentanea est: egressus fluvius, ut hortum fertiliorem redderet, quod præstare haud potuisset, si solis ardore adustas & proin salsas in Paradisum effudisset aquas. Fluvios ita dispositos juri naturæ Deus submitit, ut, quemadmodum in hunc usq; diem fit, mare ingrediantur & eò rursus egrediantur, sive mediâtè, sive immediâtè, unde factum, ut tempore Protoplastorum Paradisi fluvii aqua non defecerit. Eo ipso non inficias imus, subinde alios o-
 pertos, alios verò de novo vel naturaliter pro variâ vario tempore terræ dispositione, vel artificialiter apertos esse. Quibus Peyrerii sententia præadamitica arridet, illis παραδοξον non erit, fluvios paradisi juxta Burnet. crebrò fluxu fuisse excavatos, aded, ut Adami temporibus Ingente visî fuerint alveo. Verbum plusquamperfectum ut nihil probat; ita o-

pinio est absurda & impia. Fluvios autem Paradisi à celestibus aquis originem ducere, dicit quidem Burnet. sed non probat: neq; Polares partes, à quibus omnem aquam in orbem ducit, (quamvis eos judicet altiores partibus sub æquatore) aded altissimi sitas sunt, & quod maximum non sequitur, quod ipse intendit, ex eà ratione, quia non à pluvia, sed à Dei dispositione, uti dictum, flumina facta sunt. A silentio Scriptoris Sacri ad circumstantiarum negationem non valet consequentia; locus Eden qui sit, & quæ percurrant loca fluvii indicavimus; eosdem tandem, qui intellexerit fluvios, quos fuisse nos probavimus, non metuet cum Burnet. interposita maria aut Sinus maris, quibus cursus ipsorum interrumpi posset. Reliqua, quæ huc referri possent, eruditò calamò perstrinxit *M. Christ. Wagn. animad. in Burnet. Theor. tell. Sacr. p. 48. seqq.*

§. LIV.

Queritur tertio, quali, fluvii Paradisiaci, gavisi fuerint sapore? ad nauseam usq; fabulatur *Rupert. l. 2. de Trinit. & Oper ejus c. 24. & 29.* Paradisi fontem lacteæ esse dulcedinis, quam aqua, *cujus natura per se salsa est, nec idonea potui, sicut in se ostendit*, inde ascendens assumit. Causam affert, ob quam aqua in fonte Paradisi suam cum ejus dulcedine commutaverit salledinem, *ut dulcesceret omnis terra ad nutricandam herbam virentem, lignumq; pomiferum, quod jussa erat terra producere.* Post hæc concludit: *omnes igitur aquæ potabiles & salubres, ubicunque fluant, & undicunq; appareant, de fonte Paradisi per occultos meatus originem trahunt, & ex ejus dulcedine hoc habent, ut potabiles & salubres sint.* Quemadmodum vero Paradisi fontem, ita ejus dulcem & quidem lacteum fingit saporem. Salledinem non ex te, & sua natura habet aqua, sed à crassioribus & adustis exhalationibus, quæ cum aquâ maris commilcentur; Gratum etiam saporem non debet fluvio Paradisi, sed terræ, quam percurrit, in quâ, eam penetrans, gravem suam deponit saluginem. Per remotionem ejus, quod non est, Paradisi fluvii convenientem sapimus saporem: Aqua fluviorum Parad. non fuit sulphurea, non bituminosa, nitrosa, salsa, aluminosa, neque æris aut ferri respiciens naturam. Ex Dei institutione fecundam reddere, aut potius talem conservare, debebat Paradisi terram; sed nonnullæ harum aquarum species herbarum nutrimentum absument, ut extenuatum in vapores

pores & exhalationes solvatur; nonnullæ prædominante frigore, innatum extinguunt calorem, earundemque impediunt incrementum. Omnis verò saporis expers nequam fuit, intra cavitates terræ, à qua nascitur sapor, pererrans. In specie autem saporem denominare non possumus, sufficit eum fuisse salubrem & gratum ex terrâ pura contractum. Non obest nobis *Corn. à Lapide com. in Gen. l. 9.* statuens, aquam conjunctam salisorem factam esse & crassio rem. Nec probatur, nec nobis contrariatur: Sol nondum creatus terreas aquis immixtas particulas adurere non potuit, nec fluviatilis subsistere uno in loco, sed in mare se exonerans locum reliquit aquæ intra terræ cavitatem, ex vaporibus adustas graviores partes relinquentibus, concrecenti & per scaturigines erumpenti. Hodie verò vario gaudere sapore aquam fluviorum parad. no: non late causa: aliter sapient aquæ ramorum meridionalium, Pisonis sc. & Gichonis, Sinu Persico multum limi invehente; aliter Tigris, qui per lacus fertur, in terram mergitur, teste *Plin. l. 6. c. 27.* & inde per varios anfractus percolatur; aliter tandem Euphrates, exundans & per montium declivitates labentem in se recipiens aquam.

§. LV.

Coronidis locò nonnulla de Paradisi situ annectemus: Paradisum situm fuisse intra fluvii (Schat-el-Arab etiam vocati) divisionem, *Hy-poth. gener. 7. imo.* nos edocebit; quâ in parte verò & flexurâ fluvii, incertum, *Huet. l. c. c. 4.* conjectat, Paradisum Orientalem Medenis partem occupasse, ad aliquam fluvii flexuram tendentem ab Occidente in Orientem; ad magnum sc. anfractum, quem fluvius Occidentem versus suam intra conjunctionem & divisionem efficit: (qui anfractus ab Agathodæmone in Ptolemæi chartis repræsentatur) in Paradiso alium paulò cursum habuisse & postmodum meridiem versus sumere potuisse ipse patat ibidem. Hunc Edenis hortum confundi à nonnullis cum hortis Aconis, A donidi consecratis, quos Græci, Ægyptii Assyriique in vaseculis terreis & Calathis argenteis plantarunt, ut eos suis in processionibus circumferrent, iisdemque suas exornarent domos refert *Huet. c. 2.* Terram Bahræ, ubi Paradisum constituit, ad urbem Anuchtam laudat *c. 17.* ab amenitate & fertilitate, ut peregrinati affirmant, magnum Dominum no habere terras meliores, quam in istis locis, quæ inter Bagdat atque Bassoræ, ita ut, si pars inculta relinquatur, solitudini regionis aut igna-

ignavia incolarum id imputandum sit. Hæc regio prima habitata est: prima, quam Cain condidit, urbs ad Orientem Edenis erat, cui à filio Enoch appellationem dedit. Quod Anuchta urbs, quam *Prolemaus in descript. Susiane* habet, sit ipsa Enoch probat ibidem. Nimirum: Tha, inquit, est Syllaba usitata in lingvâ Chaldaica, & quidem nominum fœmininorum terminatio; Superest Anuch s. Enoch, confer. *M. Frid. Gottbelf. Gotteri dissert. Hist. de Henochiâ urbe prima*. De arca Noæ, quatenus testatur de hoc terræ tractu à Patriarchis antediluvianis inhabitatò, lege apud *Huet. l. c.* Pro hocce amœnitatis locò, fluviorum ductu, inveniendò, non parum conferent *Francisci Quaresmii elucidatio terra sanctæ: Johann Conrad. Diet. de flum. Parad. in antiq. Bibliis. Georg. Calixtus in lucubrationibus ad V. T. in Gen. 2. Citati à Polo in Gen. 2. à Hotting. Huet. ll. cc. Aug. Pfeiff. in dub. vex. de fluv. Parad. & à Job. Theod. Heinsf. in disp. de Parad. sub moderamine Joan. Fabricii D. & Prof. O. & c.* Hic finis esto,


S. D. G.

Ferrata Disput. Prioris.

P. 1. l. 2. à fine accuratà. p. 2. l. 16. Geographica l. 21. Aristoteli l. 27. fontium p. 3. l. 13. quinq. adn. l. 19. latinis l. 26. Henric. p. 4. l. 10. dicitur l. 23. incidamus. p. 7. S. 4. l. 20. ab. p. 8. l. 16. τόπον κτίσεως. l. 30. invenire. l. 31. sententiæ. l. ult. Platonis p. 10. l. 6. à fine usitatissimam. p. 12. l. 8. miror. l. 10. eundem. p. 16. Hyp. 3. l. 12. tegendam p. 17. l. 17. suppedi- tantur. p. 22. l. 10. Hed. causa. l. 11. dele S. Hyp. 5. cujusdam. p. 23. l. 9. Nestoriani. l. 20. Μεσοποταμίοι. p. 25. verba *Basilii adoremus* inclusivè ponantur in parenth. præmissò: *videantur*. l. 28. Oriens p. 26. l. 5. Occidentalem l. 17. post *pergens* punctum. p. 27. l. 20. reperiri. p. 28. l. 2. alios. l. 10. diviserint. p. 29. l. 9. divisisse. p. 30. l. 5. post *superiori* adde & *inferiori*. Hyp. 8. l. 9. capitis. l. 10. Glassii p. 31. l. 13. Samaritani l. 17. סיני p. 34. l. à fine. 3. desiderat.

Posterioris.

P. 30. l. 25. post verba & *Syrus* omisissum *recedunt*. p. 41. l. Dum. p. 42. l. 4. singulari l. 12. viciniore. p. 53. l. 11. qualia Hyp. 4. l. 1. post h. l. omisissum si p. 54. l. 3. lapsu. p. 63. l. 31. jungantur.



4
Fol. 1297

ULB Halle


3


003 006 867



f
56







1. N. 7.
DISPUTATIO PHILOLOGICO-HISTORICO-
GEOGRAPHICA
PRIOR

DE
**FLUVIIS PARA-
DISIACIS,**

Quam
DEO ADJUVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO atq; EXCELSISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
**DOMINO FRIDERICO
WILHELMO,**

REGNI PRUSSIAE, ET ELECTORATUS
BRANDENBURGICI HAEREDAE, &c. &c. &c.

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS INDULTU
PRO RECEPTIONE IN EUNDEM
IN ACADEMIA REGIOMONTANA

publicae ventilationi exponit

M. MARTINUS CORSCH,

RESPONDENTE

CHRISTIANO FRIDERICO Stein/

Studiof. Philos. & Theol. Mulf. Prussl.

Anno MDCC VI. die 17. Novembr.

IN AUDITORIO PHILOSOPHICO H.L. Q.C.

REGIOMONTI, Typis REUSNERIANIS.